PRAXIS SYNODALIS.

College and Commissariat.
of the Holy Land.

Row: ~~16~~ 21

Shelf: ~~C~~ GH

No. 11

FRANCISCAN FATHERS.
Mt. St. Sepulchre,
Washington, D. C.

COMMISSARIAT OF THE HOLY LAND
WASHINGTON, D.C.

1683
264.1
P919

PRAXIS SYNODALIS.

MANUALE
SYNODI DIOCESANÆ AC PROVINCIALIS
CELEBRANDÆ.

EDITIO EMENDATA.

199

271.7
7345

NEO-EBORACI, CINCINNATI, CHICAGO:
BENZIGER FRATRES,
SUMMI PONTIFICIS TYPOGRAPHI.
EINSIDLÆ: BENZIGER ET SOC.
1892.

Imprimatur.

✠ MICHAEL AUGUSTINUS,

Archiepiscopus Neo-Eboracensis.

"Et quoniam optime scitis, Dilecti Filii Nostri, ac Venerabiles Fratres, quantum ad ecclesiastici ordinis disciplinam instaurandam, populorum mores corrigendos, eorumque damna avertenda vim habeant Provincialia Concilia a canonicis sanctionibus sapientissime praescripta, et a sanctis Antistitibus maximo semper ecclesiæ bono frequentata, idcirco vel maxime optamus ut Provinciales Synodos ad ss. canonum normam rite concelebretis."—PIUS IX, Encycl. "Singulari quidem."

"Ceterum expedire Vobis, Dilecti Filii Nostri, Venerabiles Fratres, ad conjunctionem animorum similitudinemque disciplinæ existimamus, qui in eadem estis Provincia et inter Vos et cum Archiepiscopo consilia identidem conferre de rebus communibus una consulturos."—LEO XIII., Encycl. "Cum multa."

"Etenim ad praecipua cujusque Vestrae Diœcesis damna reparanda ejusque prosperitatem promovendam, nihil frequenti ejusdem dioeceseos lustratione, et Dioecesanæ Synodi celebratione validius esse probe intelligitis. . . . Nec dissimilem diligentiam impendite in Dioecesanis Synodis juxta ss canonum normam celebrandis."—PIUS IX., Encycl. cit.

"Necesse non est, ut novae constitutiones in Synodo edantur, sed quandoque expedit solam urgere executionem illarum, quae jam sancitæ fuerunt."—Bened. XIV.

Copyright, 1883, by BENZIGER BROTHERS.

PRÆFATIO.

Modico huic libello concinnando occasionem dedere Synodi Neo-Eboracenses, tum Diœcesana, tum Provincialis, nuper indictæ. Cum enim aurei tractatus olim a cl. Gavanto conscripti, cui titulus *Praxis Celebrandæ Synodi Diœcesanæ* exemplaria omnia jam dudum vendita ac distracta sint, neque præ manibus habeatur pro Concilio Provinciali celebrando compendium aliquod, Praxeos Gavanti ad instar, operæ pretium visum est utrique defectui pro viribus mederi. Cui satis consultum iri sperabatur, si e libro cl. Gavanti ea omnia caute seligerentur quæ conditioni nostratium magis accommodata sunt, atque hisce subnecterentur alia, ex authenticis fontibus hausta, quæ Provincialis Synodi ritus et ordinem spectant. Labor Manuale hujusmodi conflandi Sacerdoti cuidam hujus Provinciæ in scientiis sacris apprime versato, atque rei Liturgicæ haud mediocriter perito, demandatus est, qui, assiduis licet curis distentus, tractatum composuit eximiæ, ni fallor, utilitatis. Quemnam vero scopum sibi potissimum proposuerit, ex epistola quadam ipsius, paucis exponere liceat.

Manuale hoc, inquit, haud inepte vocari potest *Gavantus redivivus;* cum tota libelli ratio ac dispositio ex cl. illo Rubricista petita sit :—ita, scilicet, ut 1° loco statuantur circa actiones et officiales Synodi quædam regulæ generales, quibus 2° loco succedunt cæremoniæ et ordo

sessionum, ac 3tio demum, formulæ diversæ tam Promotori quam Secretario perutiles.

Quæ hoc Manuale *nova* præstat, sunt regulæ, ordo, atque formulæ in Concilio Provinciali servandæ: unde hæc nova Praxis Synodalis non solum Diœcesanæ, uti illa Gavanti, verum etiam Provinciali Synodo celebrandæ, æque inservire poterit.

Quod auctoritatem attinet regularum in Manuali prostantium, unicuique persuasum sit nihil alicujus momenti proprio marte excusum esse. Quæ Synodum Diœcesanam spectant, ea plerumque e Gavanto et doctissimo Pontifice, Benedicto XIV., desumpta sunt: quæ vero Concilium Provinciale respiciunt, fere unice atque ad verbum ex norma agendi quam secuta sunt Concilia Provincialia Viennense, Pragense, et Coloniense, annis 1858 et 1860 celebrata. Ideo autem hæc præ aliis sequi placuit, quod eorumdem celebrandorum normæ expresse fuerint a S. C. Concilii in antecessum approbatæ. Ita enim e.g. ad Card. Archiep. Coloniæ scripsit Emus Præfectus S. C. Concilii, die 29 Julii, 1859: "Quod pertinet . . . ad normam et ordinem in Synodi celebratione sequendum, nihil non recte, nihil non sacrorum canonum præscripto consentaneum præ se ferre compertum est." (Ita in Collect. Lacensi, tom. V., p. 234. Quibus consona alia extant ibidem, p. 121 et p. 388.) Quod de norma celebrandi Synodum Provincialem dictum est, de formulis quoque, infra exhibitis, data proportione intelligi debet. Hactenus Epistola citata.

Porro, Manuale hoc, meo quidem qualicumque judicio, duo habet quæ mirifice ipsum commendant: prius quidem, *lucidus ordo.* Namque licet de Synodo tum Diœcesana, tum Provinciali disserat auctor, tamen ita apte intertexit sermonem, ut unus tantum efforme-

tur tractatus de Synodo, indivisus atque bene ordinatus. Ea porro methodo materiam universam tractat ut nec claritati rerum nec libelli facilitati, sive usui ejus expedito, detrimentum oriatur. Alterum est, quod libellus iste est totus quantus *practicus*. Neque enim questionibus juridicis et speculativis de Synodo expendendis indulget: sed ea tantum exponit quæ omnium Synodalium sive Episcoporum, sive Cleri, tam officialium quam cæterorum, utilitati conducant ac commodo, unde liber iste æquissimo jure *Praxis Synodalis* vocari meretur.

Quæ cum ita sint, profecto sperare licet hoc Manuale, opitulante Divino Numine, sine quo nihil est in homine, tum amplissimorum Præsulum quum Venerabilis Cleri summæ utilitati cessurum fore.

MICHAEL AUGUSTINUS,
Archiep. Petrensis, Emi. Card. Archiep. Neo-Eboracensis Coadjutor.

NEO-EBORACI, IN DIE FESTO S. MARCI EV., 1883.

MONITA PRO II. EDITIONE.

1. Quoad *decretorum in publica sessione lectionem* animadvertendum est, usum alicubi jam invaluisse ut non amplius ex toto sed solummodo *per summaria capitum* (uti dicunt) legantur, adeo ut singulorum capitum tenor ac substantia tantum indicetur. Igitur sicubi Patres Concilii provincialis vel plenarii hunc usum sequi velint, æquum videtur, ut promotor pro lectione decretorum per summa capita facienda speciatim instet, cujus proinde rei formulam brevem in *Appendice*, p. 94 adjecimus.—Idem observari poterit in Synodo Diœcesana.

2. Cum usu prædicto alter cohæret, ut nempe *populus ad sessiones publicas admittatur*. Hujus rei ratio inter alias plane sufficiens videntur maxima incommoda necessario secutura, si juxta veteres rubricas populus excludi deberet. Ostiarii (n 8, p. 29) itaque de populi admissione Synodi præsidem consulent, quod quidem propriis in locis notatur.

3. *Promissio de secreto servando* procul dubio in generali congregatione præliminari (n. 4, *f.*, p. 18) facienda est antequam schemata decretorum distribuuntur. At nihil obstat quominus in prima sessione (n 7, p. 53) ob majorem solemnitatem iteretur. Promissio vero hoc modo fiet: Lecto decreto (n. 7, p. 79) surgunt omnes; Episcopus (seu Metropolita) rogat: "Promittitisne silentium vos omnes sancte servaturos (et tradenda vobis decretorum schemata fideliter restituturos)?" Respondent omnes (vel, ut alicubi fit, bini et bini ad præsidem accedentes): "Promitto per fidem sacerdotalem."

4. Observatu dignum videtur, in permultis Conciliis recentioribus officium *Notarii* (§ 3, p. 26) plane abrogatum esse, ejus vero munera per Secretarium ejusque socios exerceri. Quo in casu nomen Secretarii substituendum est in instantia pro rogitu Notarii (n. 5, p. 73). At notariorum nomen communiter secretariis deputationum tribuitur.

5. Quod *Commissarii Synodalis* (§ 4, p. 31) nomen attinet,

dicta repetam; scilicet, sicut in Jure Canonico viri a S. Pontifice ad causas recognoscendas etsi non judicandas deputati vocantur Commissarii Apostolici, ita membra Commissionis Investigationis in Synodo deputata ad causas clericorum cognoscendas recte vocari Commissarios Synodales, nemo inficiet. Porro appellatio hæc eo magis retinenda videtur, quod sive Consultorum sive Consiliariorum nomen ex Concilii Plen. Balt. III. decretis n. 17 sqq., et n. 284 sqq., distincta omnino ac diversa munera indicet. At ex terminorum confusione res ipsæ miscentur.

6. Miretur quis forsan *Consultores Diœcesanos* in isto libello, qui totus de Synodo est, locum invenisse. At, venia doctiorum, non paucæ rationes nec spernendæ mihi videntur, ob quas Episcopus malit propositionem Consultorum a parte Cleri faciendam in Synodo haberi (quod ipsi liberum est) quam literis undequaque congestis. Cui rei consulens novam paragraphum (§ 5, p. 31) conscripsi cum instantia et decreto respondente (in *Appendice*, p. 94). Neque, quod obiter dicam, a canonum tramite plane alienum cui forte videtur, Consultores Diœcesanos omnes pari modo atque Examinatores aliosque juramentum de munere fideliter exercendo publice præstare.

7. Ne quis ex locutionis brevitate in errorem incidat observandum est ad p. 53, n. 6, *Sermonem Synodalem* fieri posse vel intra Missarum solemnia vel in ipsa sessione, sive ante sive post allocutionem præsidis, ut apparet ex rubrica Pontificalis Romani.

8. A regula sub n. 6, p. 59 posita, quæ ex C. Coloniensi petita est, differt regula in C. Pragensi statuta, quæ sic sonat: "Preces et evangelia, quæ in Pont. R. posita sunt, peractis tribus sessionibus, in reliquis statuto ordine repetentur." Hæc magis conformia videntur verbis Cerem. Epp. (l. i., c. 31): "si ultra tres sessiones fiant, repetentur eadem Evangelia, quæ in Pontificali posita sunt."

S. G. MESSMER.

BALTIMORÆ, FESTO S. SEBASTIANI, 1886.

CONSPECTUS RERUM.

PARS I. ORDO GENERALIS.

PAGE

CAP. I. CONVENTUS PRÆPARATORII 15
§ 1. In Synodo Diœcesana 15
§ 2. In Concilio Provinciali 17

CAP. II. CONGREGATIONES IN CONCILIO PROVINCIALI .. 19
§ 1. Prænotanda 19
§ 2. Congregationes particulares 19
§ 3. Congregationes generales 20
§ 4. Congregationes privatæ 21

CAP. III. SESSIONES 22

CAP. IV. PRÆCEDENTIÆ 23

CAP. V. OFFICIALES SYNODI 24
Art. I. In Synodo 24
§ 1. Promotor 24
§ 2. Secretarius 25
§ 3. Notarius 26
§ 4. Procurator Cleri 26

PAGE

§ 5. Judices Querelarum et Excusationum..... 27
§ 6. Magister Ceremoniarum..... 28
§ 7. Cantores..... 29

Art. II. Extra Synodum..... 30
§ 1. Prænotanda..... 30
§ 2. Testes Synodales 30
§ 3. Examinatores Synodales..... 31
§ 4. Commissarii Synodales..... 31
§ 5. Consultores Diœcesani..... 31

PARS II. ORDO SESSIONUM.

Cap. I. Ordo trium Sessionum..... 35
§ 1. Prima Sessio..... 35
§ 2. Secunda Sessio..... 54
§ 3. Tertia Sessio..... 60

Cap. II. Ordo vel unius vel duarum Sessionum.... 66

PARS III. ORDO FORMULARUM.

Cap. I. Prænotanda..... 69

Cap. II. Formulæ instantiarum pro Promotore... 71
1. Pro Synodo aperienda..... 71
2. Pro decretis præliminaribus..... 72
3. Pro Professione fidei..... 72
4. Pro vocatione nominum..... 72
5. Pro rogitu Notarii..... 73
6. Pro decretorum lectione..... 73

PAGE

7. Pro continuanda lectione decretorum..... 73
8. Pro indictione proximæ sessionis 73
9. Pro testibus synodalibus nominandis..... 73
10. Pro examinatoribus synodalibus nominandis. 74
11. Pro commissariis synodalibus nominandis.. 74
12. Pro subscribendis decretis..... 74
13. Pro indictione proximi Concilii 74
14. Pro conclusione Synodi..... 74
15. Pro admissione externorum 75

Cap. III. Formulæ Decretorum pro Secretario.... 75
1. De aperienda Synodo 75
2. De Synodi Officialibus 76
3. De vocatione nominum 76
4. De præjudicio non afferendo..... 77
5. De methodo vitæ in Synodo..... 77
6. De non discedendo..... 79
7. De secreto servando..... 79
8. De Professione fidei 80
9. De examinatoribus synodalibus..... 81
10. De commissariis synodalibus..... 81
11. De testibus synodalibus.... 82
12. Jusjurandum..... 82
13. De continuanda sessione..... 83
14. De proxima sessione..... 83
15. De subscribendis decretis..... 83
16. De proximo concilio..... 83
17. De conclusione synodi..... 83

PAGE

CAP. IV. FORMULÆ PRECUM.... 84

1. Professio Fidei Tridentina..... 84

2. Preces ante et post congregationes..... 87

3. Te Deum..... 89

4. Canticum B. M. V..... 93

5. Canticum Zachariæ..... 93

APPENDIX 94

Instantia pro decr. de Residentia..... 94

" " lect. per summa capita..... 94

" " elect. Consult. Diœc..... 94

Decretum de " " " 94

INDICULUS PRO SECRETARIO, PROMOTORE, etc..... 95

PARS PRIMA.

Ordo Generalis.

PARS PRIMA.

ORDO GENERALIS.

Cap. I.—Conventus Præparatorii.

§ 1.—*In Synodo Diœcesana.*

1. Ante Synodum Episcopus sex vel plures theologos et canonistas doctrina, pietate ac prudentia præditos, sæculares et regulares convocat ad conventus in ædibus episcopalibus habendos, quibus ipsemet præsidet, pro Synodi directione i.e. pro rerum in ea decernendarum præparatione.

2. Horum conventuum secretarius nominatur ab Episcopo vir idoneus, qui referat in librum ea omnia quæ in hisce conventibus pertractantur. Seligatur qui futurus erit Synodi secretarius.

3. Quo facilius vero Episcopus in Synodo statuere possit quæ ad vitia coercenda, virtutem promovendam, mores populi reformandos et ecclesiasticam disciplinam aut restituendam aut fovendam necessaria et utilia esse judicaverit, expedire videtur, ut diebus commodis ad hos conventus vocet decanos foraneos, testes synodales, primores parochos, regularium superiores, necnon monialium confessarios, aliosque probos ac prudentes viros, a quibus omnibus sciscitetur quænam eorundem judicio in diœcesi, praesertim quoad ad-

ministrationem Sacramentorum, Verbi divini prædicationem, dierum festorum cultum et observantiam, corrigenda vel emendanda vel commendanda videantur.

4. Poterit et alia ratione materia decretorum Synodi hauriri, quum nempe quæ vel emendanda vel consulenda videntur, a Clero diœcesis tam sæculari quam regulari litteris consignata consultoribus n. 1. memoratis proponantur.

5. In istis conventibus non solum decreta præformari oportet, verum etiam tempus et ordo sessionum statuendus est; item officiales synodales, audito prius consultorum voto, ab Episcopo seligendi sunt, ita quidem ut tempus pro addiscendis officii muneribus requisitum illis præbeatur.

6. Ordo in iis conventibus servandus talis est:

a. Statuta hora consultoribus in aula episcopali congregatis, Episcopus recitabit orationem "Adsumus" (p. 44) vel "Veni S. Spiritus" (p. 87). Decet ut Episcopus rocheto et mozetta, consultores veste talari induti sint.

b. Sedebunt ordine congruo, judicio Episcopi, et quidem, ceteris paribus, jure vel promotionis vel ordinationis prioris. Cfr. c. iv., p. 23.

c. Sedentibus omnibus legitur a secretario catalogus eorum qui debent interesse ut absentes notari possint; tunc leget quæ in præcedenti conventu acta sunt; infra actionem notabit quæ notatu digna censet.

d. Interrogantur singuli de re proposita ordine vel majoritatis vel minoritatis. Vocatus facta debita reverentia respondet breviter et prout res postulat, ne tempus conteratur.

e. Peracto negotio, die horaque proximi conventus statuta, et dictis ab Episcopo precibus (p. 88) dimittitur congregatio.

§ 2.—*In Concilio Provinciali.*

1. Indicto Concilio Provinciali, Metropolita suffraganeos Episcopos invitabit ad celebrandos conventus privatos in quibus de rebus in Concilio tractandis statuatur. Præterea aliquot viros ecclesiasticos in disciplinis theologicis et in jure canonico versatos rerumque gerendarum peritia et usu præditos necnon pietate et sacerdotali sensu ferventes, prout expedire videbitur, apud se convocabit, quorum consilio et adjutorio decreta et statuta in Concilio proponenda et deliberanda præparabit.

2. Suffraganeorum quisque in sua diœcesi theologos secum in concilium adducendos seliget. Cum istis aliisque diœcesanis qui vel de jure vel de consuetudine ad concilium vocandi sunt, in antecessum de materia synodali consilia petit, ita ut non Episcopi solum sed et theologi omnesque reliqui ad Synodum vocati quo melius fieri poterit præparati accedant.

3. Uno vel altero die priusquam aperiatur Synodus Metropolita convocabit conventum Episcoporum specialem, in quo sequentia capita definitive statuantur:

a. Singulæ materiæ in Concilio tractandæ.

b. Catalogus omnium omnino synodalium.

c. Quibus concedendum sit votum decisivum.

d. Officiales synodi deputandi.

e. Quot formandæ sint commissiones seu congregationes particulares. Quinam uniuscujusque nominandi præsides, vice-præsides et secretarii. Quænam singulis distribuenda materia.

f. Methodus et ordo servandus tum in congregationibus sive publicis sive privatis, tum in sessionibus.

g. Decreta præliminaria in proxima congregatione legenda.

h. Litteræ publicæ ad Summum Pontificem, ad Clerum populumque Provinciæ, vel aliis scribendæ.

i. Ordo diurnus omnibus Synodalibus observatu proponendus.

k. Ordo præcedentiæ tam in processionibus quam in sessionibus servandus.

4. Pridie ejus diei qua synodus solemniter inchoanda est Metropolita convocabit generalem congregationem præparatoriam, cui omnes intersint synodales Ordo servabitur iste:

a. Fusis precibus (p. 87) et allocutione facta, Metropolita mandat, ut prælegatur ab archi-episcopali cancellario catalogus synodalis exhibens nomina Patrum et reliquorum membrorum concilii.

b. Iterum mandante præside idem cancellarius promulgat nomina officialium Synodi, qui statim loca sibi assignata petunt.

c. Vocantur procuratores qui instrumenta procurationis præsidi recognoscenda exhibent, qui ea rursus judicibus querelarum examinanda tradet.

d. Publicantur congregationes particulares formatæ cum officialium et membrorum nominibus et materia eis assignata.

e. Ad instantiam promotoris leguntur decreta: *α*, de præjudicio non afferendo; *β*, de modo vivendi, *γ*, de non discedendo; *δ*, de secreto servando et restituendis statutis.

f. Facta per synodales promissione de secreto servando,* schemata seu libelli decretorum distribuuntur.—Demum legitur decretum de celebranda prima sessione.

5. Precibus (p. 88) solutis finitur actio.

---

* Vide *Monitum* 3, p. 6.

Cap. II.—Congregationes in Concilio Provinciali.

§ 1.—*Prænotanda.*

1. Congregationes omnes inchoantur et finiuntur precibus infra (p. 87) positis.

2. Congregationibus generalibus Episcopi rocheto et mozetta, theologi vero superpelliceo vel habitu ordinis sui induti; in congregationibus particularibus vero omnes habitu talari tantum vestiti intersunt.

3. Cura unicuique sit ut multa diligentia præparatus ad congregationes accedat. Cum inprimis necessarium sit ut clara et perspicua ratione proferantur quæ quis animadvertenda esse duxerit, ea brevi compendio conscribat in propositionem bene articulatam, additis argumentis eam firmantibus.

§ 2.—*Congregationes Particulares, Deputationes.*

1. Congregationes particulares (commissiones, sectiones) ex certo synodalium numero componuntur. Singulæ partem decretorum vel eorum certam classem expendunt et discutiunt. Præsidet Episcopus, cui adjungitur Vice-præses et secretarius.

2. Episcoporum est qui singulis sectionibus præsunt, determinare dies et horas pro consessibus habendis, imo et totum ordinem quo materia synodalis tractanda erit.

3. Agendi normam hanc sequi licet:

a. Dicta oratione, compendiaria per secretarium legitur relatio præcedentis consessus.

b. Jubente præside legitur illud caput e serie decretorum de quo primum deliberandum est. Hoc sufficienter discusso, eodem modo pertractatur caput sequens. Et ita porro.

c. Peracta discussione secretarius exarabit brevem de quæstionibus seu rebus tractatis relationem metropolitæ tradendam. Præstat et rationes pro aut contra allatas, et votorum tum majorem tum minorem numerum indicare.

d. Cœtui finem imponit Reverendissimus Præses congregationis, indicendo diem et horam sequentis consessus. Tunc recitat preces consuetas.

§ 3.—*Congregationes Generales, vel Publicæ.*

1. Congregatio generalis cœtus est ad quem Patres omnes ceterique Synodi sodales convenire tenentur. Præside metropolita in ea proponuntur et discutiuntur decreta, quæ in congregationibus particularibus examinata sunt. Cfr. *Monitum*, p. 66.

2. Præcedentiæ ordo servatur ut infra c. iv., p. 23.

3. Dicendo sententiam præsidem alloquuntur. Ab alternis sermonibus inter se habendis abstinebunt.

4. Norma agendi hæc commendatur:

a. Inchoatur oratione a Metropolita facienda.

b. Instat promotor ut secretarius legat relationem compendiariam præcedentis congregationis generalis.

c. Instat promotor pro admissione id supplicantium. Vide infra n. 5.

d. Instat promotor ut legantur scriptæ observationes vel conclusiones in congregatione particulari circa materiam modo tractandam latæ.

e. Instituitur de materia observationibusque lectis deliberatio.

f. Annuentibus Patribus instat promotor ut finis fiat præsentis congregationis; ut ab Illustrissimo Præside dies et hora determinetur sequentis vel congregationis vel sessionis.

g. Quo facto congregatio absolvitur consuetis precibus.

5. Ad istas congregationes admitti possunt viri ecclesiastici, qui quamvis synodales non sint, deliberationibus tamen theologorum interesse cupiunt. Ii nomen itaque, munus suum, et locum ubi domiciliantur, in scriptis promotori exhibeant, qui pro eorum admissione instabit. Qua facta instantia (p. 75) respondet Metropolita: "Legantur eorum nomina, referatur officium quod gerunt, et locus ubi commorantur." Lectis omnibus, Metropolita ut Patrum sententia habeatur secretario mandat, qui modo interrogat: "Placetne Reverendissimis Patribus, ut petentes admittantur?" Quibus respondentibus: "Placet," viri praedicti intrare jubentur. Statim coram præside emittunt juramentum hoc modo: "Juro et promitto me secretum synodale sancte observaturum. Sic me Deus adjuvet."

§ 4.—*Congregationes Privatæ.*

1. Congregationes privatæ, in quibus Patres Concilii inter se deliberant, destinatæ sunt, ut perspectis observationibus et conclusionibus congregationum particularium et generalium definiatur quid statuendum sit.

2. Præter episcopos ad istas privatas congregationes solus secretarius, notarius et promotores Concilii admittuntur. Si vero in his cœtibus de novis eligendis episcopis agatur, episcopi synodales exclusive soli manebunt.

3. Norma hæc sequenda proponitur:

a. Episcopi considerent juxta ordinem promotionis præside Metropolita.

b. Secretarius acta prioris congressus legit. Si quid

episcopi circa illa mutandum vel illis addendum putant, id proponunt.

c. Promotor proponit unam de quæstionibus discutiendis vel definiendis; legit vel Secretario legendum tradit votum theologorum super eam quæstionem relatum.

d. Episcopi sententiam aperiunt ordine quo sedent.

e. Juxta majorem partem suffragiorum res tractata vel abjicitur, vel theologis de novo discutienda remittitur, vel in decreti formam redacta definitive statuitur.

Cap. III.—Sessiones.

1. Sessiones vocantur illi synodalium conventus qui juxta Pontificalis et Ceremonialis Episcoporum rubricas summa cum solemnitate ac pompa celebrantur, et in quibus decreta synodalia publice promulgantur. Ut igitur ad permagnam tum Cleri tum totius populi utilitatem in hac celebritate effulgeat ecclesiasticæ Hierarchiæ auctoritas, unitas atque majestas, in id omnibus synodalibus summopere nitendum est, ut sessiones istæ ab initio ad finem usque maximo cum decore ordineque perfecto agantur. Itaque diligenti studio ab omnibus qui Synodo diœcesanæ vel provinciali interesse debent, perscrutanda et observanda sunt quæ de sessionum ordine traduntur. Præcipue vero illud curæ sit, omni seposita murmuratione, prompte alacriterque sequi magistrorum ceremoniarum mandata,—quod alioquin in omnibus synodi functionibus observare oportet.

2. Quot numero sessiones habendæ sint, qua die et hora, ab episcopo vel a Metropolita pro necessitatis vel utilitatis ratione statuendum est.

3. Cum dispositio consessus synodalis plurimum pendeat ab ambitu, forma et capacitate ecclesiæ in qua

celebratur, in his vero summa inter varias ecclesias inveniatur diversitas, regulæ pro omnibus uniformes statui nequeunt. Optimum profecto foret si loci vel sedes singulis synodalibus pro ordine suo occupandi in folio distribuendo, vel literis vel melius pictura delineata indicarentur.

4. In sessionibus episcopi omnes mitra auriphrygiata et pluviali insigniti cum duobus capellanis procedunt, ceteri autem omnes eo habitu chorali, qui ipsis pro qualitate sui ordinis vel dignitatis convenit.

5. Sessiones solemnes conclu luntur cum benedictione solemni synodalibus ab episcopo vel metropolita impertienda.

6. Quoad externos in sessiones admittendos, cfr. § 3, n. 5, p. 21. De populi admissione v. *Monitum* 2, p. 6.

Cap. IV.—Ordo Præcedentiæ.

1. *In Synodo Diœcesana.*— In processione pro prima sessione hic ordo præcedentiæ ex Ceremoniali Episcoporum, l. II. c. 33, n. 5, particularibus locorum circumstantiis vel consuetudinibus accommodari potest. Scilicet, thuriferarius ; minister portans crucem ecclesiæ cathedralis medius inter duos clericos portantes duo candelabra cum candelis accensis ; deinde, si aderunt, clerici seminarii, et post eos curati ecclesiarum parochialium, primum regulares, tunc sæculares ; tunc ecclesiæ collegiatæ ; tunc clerus ecclesiæ cathedralis ; ultimo loco prælati et Vicarius generalis ; demum Episcopus.

b. Idem in sessionibus ordo inter synodales servetur. Cfr. p. 16, n. 6, b.

2. *In Concilio Provinciali.*—In processione sequens ordo servari poterit. *α*. Regulares omnes sub cruce quam capellanus præfert ; *β*, clerus sæcularis, qui ad solemnitatem convenit ; *γ*. crux capituli metropolitani ;

δ, clerus metropolitanæ ecclesiæ; ε, chorus cantorum; ζ, acolythi et ministri pro Sacro pontificali; η, theologi Patrum; ϑ, officiales synodi; ι, superiores regularium provinciales; κ, superiores seminariorum; λ, procuratores capitulorum, primo collegiatorum, secundo cathedralium; μ, prælati et abbates; ν, capitulum metropolitanum in corpore; ξ, episcopi secundum ordinem promotionis; ο, subdiaconus cum cruce archiepiscopali inter acolythos; π, presbyter assistens cum ministris vicariis; ρ, archiepiscopus cum ministris canonicis.

Cap. V.—Officiales Synodi.

Art. I.—In synodo.

§ 1.—*Promotor.*

1. Promotorum gravissimum munus paucis verbis exposuit Benedictus XIV., docens eorum esse urgere actiones synodales seu insistere ut omnia quæ in synodo facienda sunt celeriter et fructuose perficiantur.

2. Eorum est instare ut materia in congregationibus generalibus et sessionibus oportuno tempore parata et bene ordinata sit.

3. Eorum est providere ut forma actionis synodalis in omnibus recte expediatur. Quænam vero sibi præsertim negotia incumbant, facile perspicient ex formulis eis propositis in parte III. hujus manualis.

4. Officio suo alternantes, si ita eis placeat, fungi poterunt, dummodo de negotiis unicuique agendis inter se mutuo conveniant.

5. Antequam loquantur et postquam dixerint, profundam capitis inclinationem episcopo faciunt, neque discedant ad locum suum donec episcopus responsum instantiæ dederit.

6. Recitent formulas instantiarum vel ex folio incluso in libello decenti, vel ex ipso hoc manuali ; et alta voce, ut a vicinioribus saltem plene audiri possint. Legatur nota, p. 71.

7. Decet ut in sessionibus pluviali parati sint ; vel, si sint canonici, habitu canonicali utantur.

§ 2.—*Secretarius.*

1. Secretarii est acta totius Synodi accurate describere ; promulgare nomina synodalium ; quæ in congregationibus publicis et sessionibus legenda sunt, prælegere ; in sessionibus interrogare Patres an prælecta decreta placeant, atque responsum ferre ad Metropolitam ; Synodi documenta caute custodire ; decretorum exemplaria prout opus erit Patribus et synodalibus distribuere ; eadem iterum, finitis deliberationibus, colligere ; demum omnia in unum collecta, juvante Notario, præparare ut in nitidam formam redacta episcopo vel metropolitæ tradantur.

2. Prævideat quæ legere debet ne legendo erret vel cunctetur ; legat alta voce neque nimis festinanter, ut ab omnibus distincte audiatur.

3. Quæ lecturus est ea prius cum debita reverentia a Rev^mo^ præside accipiat, post instantiam promotoris, quo instante ipse semper aderit paratus instrumentum requisitum Præsidi offerre ; et si ab alio forsan decretum legendum esset, ipsemet tamen secretarius ex manu Præsidis documentum accipiet illudque lectori tradet.

4. Suggeret sive Præsidi sive promotori quæcunque agenda vel pertractanda sunt. Perutilis ei erit, tum memoriæ causa tum promptioris executionis, index ille brevis totius actionis synodalis, cujus specimen exhibetur, p. 95.

5. Secretario, si ob tractandorum copiam necesse sit, adsignantur ab episcopo, vel in Concilio provinciali a Metropolitano, socii quidam. Istorum est Secretario ministrare documenta, si quid occurrit legendum; vel ipsius loco vocare nomina synodalium; * (in Concilio Provinciali nomina episcoporum, dignitatum et prælatorum vocanda sunt ab ipsomet secretario) vel legere ulteriora decreta si forte secretarius priora legendo nimis defatigatus fuerit.

§ 3.—*Notarius.*†

1. Notarios plures in Concilio provinciali constituere licet, quorum unus principalis Synodi notarius designandus est.

2. Notarius absentes a sessionibus et congregationibus publicis notat; singulorum, qui prima vice in synodo professionem fidei emittunt, nomina describit; secretarium vota Patrum interrogantem comitatur; rogatus a promotore ut de eis quæ gesta sunt instrumentum conficiat, promittit se facturum. Confectum instrumentum Præsidi subscribendum offert.

§ 4.—*Procurator Cleri.*

1. Ad evitandas turbas et præcavandos tumultus qui certe fierent si singulis de clero venia daretur reclamandi adversus decreta, quæ in Synodo promulgantur, solet episcopus aliquem constituere totius cleri procuratorem, qui omnium nomine, et tamen qua decet modestia et reverentia, dicat in Synodo quæ clero displicent, quæque ex iis quæ aut statuta aut statuenda sunt, difficiliora et aspera videntur, simulque modum

---

* Cfr. *Notam*, p. 76. † Vide *Monitum* 4, p. 6.

suggerat quo illa emolliri Clerus optaret. (Bened. xiv. de Syn. D.)

2. Poterunt plures procuratores Cleri deputari, tum in Concilio provinciali quum in Synodo diocesana.

3. Omnia porro quæ nomine Cleri petit, scripta tradat synodi secretario.

§ 5.—*Judices Querelarum et Excusationum.*

1. Etiamsi, ita Bened. xiv., judicum synodalium qui alias Judices Querelarum et Excusationum appellari solent, primum et potissimum munus, excipiendi scilicet, in synodo, causas criminosas et lites civiles, hodie passim conquieverit, non idcirco tamen eorundem judicum electio censenda est superflua; quia ad eos pertinet aliis insuper ad utilitatem synodi vacare officiis quæ potissimum ad sequentia redeunt.

2. Judicum erit recognoscere literas procuratorum credentiales, et de Patrum mandato inquirere quinam theologi ad præsentem synodum vocati fuerint.

3. Examinabunt excusationes tum eorum qui ad synodum rite vocati, justo tamen impedimento detenti, non comparaverunt; tum illorum qui ob rationem justam libello supplici ad præsidem scripto deferendo, synodo nondum finita, dimitti postulant. Qua venia concessa judices a discedente recipient libellum decretorum, si forte distributus fuerit, secretario restituendum.

4. Querelas quoad præcedentiam forsan orituras et ad Præsidem delatas diligenter expendant et in caritate componant.

5. Ex officio sunt decreti de servando secreto vigiles custodes ejusque discreti vindices.

6. De omnibus suis actis breve protocollum ducent

quod una cum instrumentis, finita synodo, episcopo (metropolitæ) exhibebunt.

§ 6.—*Magister Ceremoniarum.*

1. Magister ceremoniarum curam habet ut ceremoniæ omnes sive in publicis congregationibus sive in sessionibus secundum s. liturgiæ præscripta debito ritu, cultu et majestate fiant.

2. Approbante episcopo (metropolita) socios, sub-ceremoniarios dictos, seligat, qui eum adjuvent ut cum majore uniformitate functiones peragantur. Necesse plane est, ut non permixtim, sed distincta et separata unicuique socio munera assignentur.

3. Habeant igitur indicem quisque suum et omnino concordem cum indiculo secretarii (p. 94) quo tota series et ordo ac dispositiones breviter indicentur.

4. Duo vel tres sub-ceremoniarii per varia loca inter synodales distributi moneant quando standum, genuflectendum, vel sedendum, ad nutum magistri, qui sine clamore vel strepitu, manu elevata, depressa et magis adhuc depressa tres illos situs prædictis clericis significabit, et hi clero voce demissa. Generatim haec regula servanda videtur, ut tota synodus quoad situm Præsidi se conformet.

5. Iidem ceremoniarii præerunt ordinandis ducendisque processionibus, item ingressui et recessui synodalium in sessionibus.

6. Magister ceremoniarum maxime advertat quæ spectant processiones, missam synodalem, communionem cleri generalem, horas canonicas, absolutionem defunctorum, ac denique cantum qui amice ordinandus est cum cantoribus.

7. Demum cum sacrista agat de apparatu ecclesiæ,

de præparandis disponendisque rebus quæ ad sessiones synodales necessariæ sunt.

8. Ostiariorum synodi munera a sub-ceremoniariis exerceri præstat. Eorum igitur est:

a. Excludere sine tumultu, uti par est, laicos a sessionibus et congregationibus publicis, nec ullum omnino sive laicum sive clericum ibi permittere sine consensu præsidis.*

b. Admonere eos de Clero qui vel suis locis non sedent, vel per ecclesiam vagantur vel inutili fabulationi vacant.

c. Claudere vel aperire, prout opus est, portas ecclesiæ.*

d. Inobedientes et contumaces, sive laicos sive clericos, deferre ad judices querelarum.

§ 7.—*Cantores.*

1. Unitas et perfecta harmonia, si ab ullis aliis, profecto a cantoribus summopere servanda est. Id maxime valet si quando diversa a diversis cantanda sunt. Itaque omnes cantus eorumque partes plene ac distincte præordinari debent.

2. Circa tempus quando, vel locum ubi cantica modulanda sunt, magister cantorum oportet consulat ceremoniarum magistrum, cujus mandatis, sicut reliqui synodales, ita et cantores subjiciuntur.

3. Si præter cantum Gregorianum in solemnitate synodali concentus musici proferantur, id faciendum non est nisi capto prius consilio cum magistro ceremoniarum. Nec obliviscendum hic est moniti cl. Gavanti, ut isti concentus quidem fiant de *more* sed absque *mora*, ne nimis actio synodalis protrahatur.

---

* Vide *Monitum* 2, p. 6.

ART. II.—EXTRA SYNODUM.

§ 1.—*Prænotanda.*

1. Synodales isti vocantur officiales non quatenus intra synodi actionem munera ab eis ulla exercenda sunt, sed quia officium quo peracta demum synodo perfungi debent, in ipsa Synodo eis confertur.

2. Horum officialium electio in Synodo facienda est non proprie a Clero sed ab Episcopo, audito quidem consilio cleri congregati.

3. Varius electionis modus, juxta Episcopi arbitrium admitti potest; ut nempe fiat proposito certo virorum ecclesiasticorum numero, ex quo deputandi eliguntur; vel omissa tali propositione (nominatione); iterum voto vel secreto vel aperto; rursus mera nominatorum approbatione a Clero manifestata.

4. Electi statim a secretario, ex promotoris instantia, vocantur ad juramentum de officio fideliter exercendo præstandum. Formulam vide p. 82.

5. Absentes qui electi sunt jurabunt extra synodum in manus Episcopi vel Vicarii generalis; quod item præstabunt ii qui pro tempore succedunt approbatis in Synodo.

6. In Concilio provinciali testes synodales solummodo eliguntur; et ii quidem exclusive a Concilii Patribus, i.e. Episcopis.

§ 2. *Testes Synodales.*

Testes synodales sunt idoneæ de Clero personæ gravitate, prudentia, pietate ac zelo secundum Deum præstantes, in singulis diœcesibus deputatæ quæ simpliciter et de plano, absque ulla jurisdictione sollicite ac circumspecte explorent, an præcedentis Synodi provincialis vel diœcesanæ decreta religiose observentur,

ac simul investigent quæ correctione vel reformatione indigent, eaque fideliter metropolitano et suffraganeis aliisque in Synodo subsequenti significent, ut super his provida deliberatione consulatur. (Schema C. Vat.)

§ 3.—*Examinatores Synodales.*

Examinatores constituuntur præsertim pro concursu ad parœcias vel ad missiones quarum rector inamovibilis est. Munera eorum extendi poterunt ad examina quæ seminarii alumni singulis semestribus, ordinandi ante ordinum collationem, juniores de Clero per aliquot annos, promovendi ad majora beneficia, etc., subeunt; item ad ea quæ facultatum confessiones excipiendi concessionem præcedunt.

§ 4.—*Commissarii Synodales.**

Qui olim ex C. Trid. eligendi erant judices synodales, iis ex Instr. S. C. de P. F. d. 20 Julii 1878, pro Statibus Fœderatis substituta fuit Commissio Investigationis. Hæc quidem Instructio iis in diœcesibus, ubi ex S. Sedis dispensatione curiæ episcopales nondum institutæ sunt, adhuc observari debet. C. Pl. Balt. III.

Commissariorum est criminales ac disciplinares clericorum causas ad examen revocare, rite cognoscere, ac ita episcopo in ipsis definiendis auxilium præbere.

§ 5.—*Consultores Diœcesani.*†

Ex decreto C. Plen. Balt. III. in Statuum Fœderatorum diœcesibus loco Capitulorum Cathedralium instituendi sunt Consultores Diœcesani, qui simili modo atque Canonici, "Episcopis in gubernandis suis diœcesibus consilio et opera adsint, tanquam ecclesiæ senatus præcipuique Episcopi coadjutores ac consiliarii." Dimidia eorum pars ab Episcopo nonnisi post propositionem Cleri eligitur. Pro unoquoque seligendo consultore tria nomina scripto proponuntur.

---

* Vide *Monitum* 5, p. 7. † Vide *Monitum* 6, p. 7.

PARS SECUNDA.

Ordo Sessionum.

PARS SECUNDA.

ORDO SESSIONUM.

Monitum : Ne nimis manualis hujusce moles augescat, eae tantummodo ceremoniæ, ex Pontificali Rom. et Ceremoniali Epp. propemodum verbo desumptæ, hic describuntur, quæ omnium synodalium utilitati ac commodo cedant. Ceremoniariorum, aliorumque quibus ss. functiones obeundæ sunt, diligenti studio commendantur, qui optime hac de re scripserunt De Herdt, *Praxis Pontif.;* t. I, c. xxxi. Martinucci, *Manuale SS. Cerem.;* l. vi., c. xl., xli. sqq. *Ceremonial for Cath. Churches ;* p. vi., ch. xiii. xiv.

Cap. I.—Ordo Trium Sessionum.

§ 1.—*Prima Sessio.*

1. Verba Ceremonialis Epp. clare indicant, in Concilio provinciali primam sessionem solemni processione inchoandam esse. Idem in Synodo Diœcesana ex traditionis usu faciendum est. Processio fieri potest vel ex aula Archiepiscopi, vel si magis id conveniat, ex sacello ecclesiæ aliove loco decenti. Hoc in casu totus clerus, Episcopi quidem rocheto et mozetta, canonici vero habitu canonicali, reliqui superpellicio induti ad (Archi-) Episcopum accedunt, quem cappa magna indutum ad locum pro inchoanda processione destinatum comitabuntur.

Congregatis in loco statuto Episcopis et aliis qui Concilio interesse debent, Episcopi capiant sacra paramenta, hoc est, supra rochetum amictum, pluvialia et mitras auriphrygiatas uniformes; Archiepiscopus vero, Concilio præsidens, indutus erit amictu, alba, cingulo, stola et mitra pretiosa; Abbates benedicti pariter cum pluvialibus et mitris simplicibus; Dignitates et Canonici pluvialibus, planetis, et dalmaticis, pro qualitate ordinis eorumdem; clerus sæcularis superpelliciis, clerus regularis habitu sui ordinis. Paramenta omnia erunt coloris rubri. — Idem, servatis adjunctis, fiet in Synodo Diœcesana.

Ibunt autem omnes supplicantes et cantantes hymnos et psalmos. Inter hymnos decet ut cantentur hymni de Patronis ecclesiæ, vel civitatis, diœcesis et provinciæ; quod si fiat, finita processione, etiam orationes de SS. Patronis cantandæ sunt.

Omnibus igitur paratis, posito in thuribulo incenso, Episcopus intonat hymnum "Veni Creator Spiritus." Inter primum versum omnes genuflectunt; eo finito consurgunt et processionem incipiunt.



Qui diceris Paraclitus,
Altissimi donum Dei,
Fons vivus, ignis, charitas,
Et Spiritalis unctio.

Tu septiformis munere,
Digitus paternæ dexteræ,
Tu rite promissum Patris,
Sermone ditans guttura.

Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma nostri corporis,
Virtute firmans perpeti.

Hostem repellas longius,
Pacemque dones protinus;
Ductore sic te prævio,
Vitemus omne noxium.

Per te sciamus da Patrem,
Noscamus atque Filium,
Teque utriusque Spiritum
Credamus omni tempore.

Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio
Cum Spiritu Paraclito, *T. P.* { Et Filio qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclito,
In sæculorum sæcula.
AMEN.

PSALMUS 80.

TONUS 8.



Exsultate Deo adiutori nostro: * jubilate Deo Jacob.

Sumite psalmum, et date tympanum: * psalterium jucundum cum cithara.

Buccinate in Neomenia tuba, * in insigni die solemnitatis vestræ:

Quia præceptum in Israel est: * et judicium Deo Jacob.

Testimonium in Joseph posuit illud, cum exiret de terra Ægypti: * linguam, quam non noverat, audivit.

Divertit ab oneribus dorsum eius: * manus ejus in cophino servierunt.

In tribulatione invocasti me, et liberavi te: * exaudivi te in abscondito tempestatis: probavi te apud aquam contradictionis.

Audi, populus meus, et contestabor te: * Israel, si audieris me, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum.

Ego enim sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti: * dilata os tuum, et implebo illud.

Et non audivit populus meus vocem meam: * et Israel non intendit mihi.

Et dimisi eos secundum desideria cordis eorum, * ibunt in adinventionibus suis.

Si populus meus audisset me: * Israel si in viis meis ambulasset.

Pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem: * et super tribulantes eos misissem manum meam.

Inimici Domini mentiti sunt ei: * et erit tempus eorum in sæcula.

Et cibavit eos ex adipe frumenti: * et de petra, melle saturavit eos. Gloria Patri, etc.

PSALMUS 83.

Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! * concupiscit et deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum et caro mea * exultaverunt in Deum vivum.

Etenim passer invenit sibi domum: * et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altaria tua, Domine virtutum, * Rex meus et Deus meus.

Beati qui habitant in domo tua, Domine: * in sæcula sæculorum laudabunt te.

Beatus vir, cujus est auxilium abs te: * ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum, in loco quem posuit.

Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem: * videbitur Deus deorum in Sion.

Domine Deus virtutum, exaudi orationem meam: * auribus percipe, Deus Jacob.

Protector noster aspice, Deus; * et respice in faciem Christi tui:

Quia melior est dies una in atriis tuis * super millia.

Elegi abjectus esse in domo Dei mei, * magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia misericordiam et veritatem diligit Deus * gratiam et gloriam dabit Dominus.

Non privabit bonis eos, qui ambulant in innocentia: * Domine virtutum, beatus homo, qui sperat in te. Gloria Patri, etc.

PSALMUS 86.

Fundamenta ejus in montibus sanctis: * diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.

Gloriosa dicta sunt de te, * civitas Dei.

Memor ero Rahab et Babylonis * scientium me.

Ecce alienigenæ, et Tyrus, et populus Æthiopum, * hi fuerunt illic.

Numquid Sion dicet: Homo, et homo natus est in ea, * et ipse fundavit eam Altissimus?

Dominus narrabit in scripturis populorum et principum, * horum, qui fuerunt in ea.

Sicut lætantium omnium * habitatio est in te. Gloria Patri, etc.

Ad ecclesiam reversi Clerus sua quisque loca petit, Episcopus vero cum ministris accedit ad altare, ubi stans, reliquis omnibus genuflexis, cantat orationes de Spiritu Sancto, de B. M. V., de S. Patrono, etc., p. 87. Quibus conclusis Episcopus pergit ad thronum, reliqui ad sedes suas.

2. Processione peracta, cantabitur Missa votiva solemnis de Spiritu Sancto. Si intra missarum solemnia generalis fiat communio Cleri, quod ab Episcopo (vel in Concilio provinciali a Metropolita, consultis Patribus) in antecessum decerni debet, observent omnes ordinem a magistro ceremoniarum indicatum.

3. Missa finita, et facta a celebrante gratiarum actione,

Episcopus depositis paramentis Missæ propriis, usque ad tunicellam inclusive, et accepto pluviali, genuflexus ante altare super genuflexorio ibi parato, omnibus aliis etiam genuflectentibus, incipit antiphonam "Exaudi Domine," etc. Chorus cantorum prosequitur cantum antiphonæ, qua absoluta intonat Ps. "Salvum me fac." Finito primo psalmi versiculo Episcopus surgit et sedet faldistorio; ceteri omnes simul surgunt ac sedent.



PSALMUS 68.

Salvum me fac, Deus: * quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam.

Infixus sum in limo profundi: * et non est substantia.

Veni in altitudinem maris, * et tempestas demersit me.

Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ: * defecerunt oculi mei, dum spero in Deum meum.

Multiplicati sunt super capillos capitis mei, * qui oderunt me gratis.

Confortati sunt qui persecuti sunt me inimici mei injuste: * quæ non rapui, tunc exsolvebam.

Deus, tu scis insipientiam meam: * et delicta mea a te non sunt abscondita.

Non erubescant in me qui expectant te, Domine, * Domine virtutum.

Non confundantur super me * qui quærunt te Deus Israel.

Quoniam propter te sustinui opprobrium: * operuit confusio faciem meam.

Extraneus factus sum fratribus meis: * et peregrinus filiis matris meæ.

Quoniam zelus domus tuæ comedit me: * et opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.

Et operui in jejunio animam meam: * et factum est in opprobrium mihi.

Et posui vestimentum meum cilicium: * et factus sum illis in parabolam.

Adversum me loquebantur qui sedebant in porta: * et in me psallebant qui bibebant vinum.

Ego vero orationem meam ad te, Domine: * tempus beneplaciti, Deus.

In multitudine misericordiæ tuæ exaudi me : in veritate salutis tuæ.

Eripe me de luto, ut non infigar: * libera me ab iis, qui oderunt me, et de profundis aquarum.

Non me demergat tempestas aquæ, neque ab-

sorbeat me profundum: * neque urgeat super me puteus os suum.

Exaudi me, Domine, quoniam benigna est misericordia tua: * secundum multitudinem miserationem tuarum respice in me.

Et ne avertas faciem tuam a puero tuo: * quoniam tribulor, velociter exaudi me.

Intende animæ meæ, et libera eam: * propter inimicos meos eripe me:

Tu scis improperium meum et confusionem meam, * et reverentiam meam.

In conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me: * improperium expectavit cor meum et miseriam.

Et sustinui qui simul contristaretur, et non fuit: * et qui consolaretur, et non inveni.

Et dederunt in escam meam fel: * et in siti mea potaverunt me aceto.

Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, * et in retributiones, et in scandalum.

Obscurentur oculi eorum ne videant: et dorsum eorum semper incurva.

Effunde super eos iram tuam, * et furor iræ tuæ comprehendat eos.

Fiat habitatio eorum deserta: * et in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet.

Quoniam quem tu percussisti, persecuti sunt: * et super dolorem vulnerum meorum addiderunt.

Appone iniquitatem super iniquitatem eorum, * et non intrent in justitiam tuam.

Deleantur de libro viventium: * et cum justis non scribantur.

Ego sum pauper et dolens: * salus tua Deus, suscepit me.

Laudabo nomen Dei cum cantico; * et magnificabo eum in laude.

Et placebit Deo super vitulum novellum, * cornua producentem et ungulas.

Videant pauperes, et lætentur; * quærite Deum, et vivet anima vestra.

Quoniam exaudivit pauperes Dominus: * et vinctos suos non despexit.

Laudent illum cœli et terra, * mare et omnia reptilia in eis.

Quoniam Deus salvam faciet Sion: * et ædificabuntur civitates Juda.

Et inhabitabunt ibi, * et hæreditate acquirent eam.

Et semen servorum ejus possidebit eam: * et qui diligunt nomen ejus, habitabunt in ea. Gloria Patri, etc.

Finito Psalmo, et repetita Antiphona, Pontifex surgit, deposita mitra et versus ad altare, dicit:

"Adsumus, Domine Sancte Spiritus, adsumus, peccati quidem immanitati detenti, sed in nomine tuo specialiter aggregati: veni ad nos, adesto nobis, dignare illabi cordibus nostris; doce nos, quid agamus: quo gradiamur, ostende: quid efficiamus, operare. Esto solus et suggestor, et effector judiciorum nostrorum, qui solus cum Deo

Patre, et Ejus Filio nomen possides gloriosum: non nos patiaris perturbatores esse justitiæ, qui summe diligis æquitatem; ut sinistrum nos non ignorantiæ trahat, non favor inflectat; non acceptio muneris vel personæ corrumpat; sed junge nos Tibi efficaciter solius tuæ gratiæ dono, ut simus in Te unum, et in nullo deviemus a vero; quatenus nomine tuo collecti, sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis justitiam, ut hic a Te in nullo dissentiat sententia nostra, et in futuro pro bene gestis consequamur præmia sempiterna."

Respondetur ab omnibus: AMEN.

OREMUS.

Omnipotens, sempiterne Deus, qui misericordia tua nos incolumes in hoc loco specialiter aggregasti; mentes nostras, quæsumus, Paraclitus, qui a te procedit, illuminet, et inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem, cunctosque in tua fide et charitate corroboret; ut excitati a temporali Synodo, proficiamus ad æternæ felicitatis augmentum. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, Qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. R.) AMEN.

4. Finita oratione, Pontifex, accepta mitra, procumbit supra faldistorium prædictum, aliis omnibus genuflectentibus; et Cantores dicunt Litanias.



Fili Redemptor, mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas, unus Deus, miserere nobis.
Sancta Maria, ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix, ora.
Sancta Virgo virginum, ora.
Sancte Michael, ora.
Sancte Gabriel, ora.
Sancte Raphael, ora.
Omnes sancti Angeli et Archangeli, orate.
Omnes sancti beatorum Spirituum ordines, orate.
Sancte Joannes Baptista, ora.
Sancte Joseph, ora.
Omnes sancti Patriarchæ et Prophetæ, orate.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andrea, ora.
Sancte Jacobe, ora.
Sancte Joannes, ora.
Sancte Thoma, ora.
Sancte Jacobe, ora.
Sancte Philippe, ora.
Sancte Bartholomæe, ora.

Sancte Matthæe, ora.
Sancte Simon, ora.
Sancte Thaddæe, ora.
Sancte Mathia, ora.
Sancte Barnaba, ora.
Sancte Luca, ora.
Sancte Marce, ora.
Omnes sancti Apostoli et Evangelistæ, orate.
Omnes sancti Discipuli Domini, orate.
Omnes sancti Innocentes, orate.
Sancte Stephane, ora.
Sancte Laurenti, ora.
Sancte Vincenti, ora.
Sancti Fabiane et Sebastiane, orate.
Sancti Joannes et Paule, orate.
Sancti Cosma et Damiane, orate.
Sancti Gervasi et Protasi, orate.
Omnes sancti Martyres, orate.
Sancte Silvester, ora.
Sancte Gregori, ora.
Sancte Ambrosi, ora.
Sancte Augustine, ora.
Sancte Hieronyme, ora.
Sancte Martine, ora.
Sancte Nicoláe, ora.
Omnes sancti Pontifices et Confessores, orate.
Omnes sancti Doctores, orate.
Sancte Antoni, ora.
Sancte Benedicte, ora.
Sancte Bernarde, ora.
Sancte Dominice, ora.

Sancte Francisce, ora.
Omnes sancti Sacerdotes et Levitæ, orate.
Omnes sancti Monachi et Eremitæ, orate.
Sancta Maria Magdalena, ora.
Sancta Agatha, ora.
Sancta Lucia, ora.
Sancta Agnes, ora.
Sancta Cæcilia, ora.
Sancta Catharina, ora.
Sancta Anastasia, ora.
Omnes sanctæ Virgines et Viduæ, orate.
Omnes Sancti et Sanctæ Dei, intercedite pro nobis.



Propitius esto, exaudi nos, Domine.
Ab omni malo, libera nos, Domine.
Ab omni peccato, libera.
Ab ira tua, libera.
A subitanea et improvisa morte, libera.
Ab insidiis diaboli, libera.
Ab ira et odio, et omni mala voluntate, libera.
A spiritu fornicationis, libera.
A fulgure et tempestate, libera.
A flagello terræmotus, libera.
A peste, fame et bello, libera.
A morte perpetua, libera.
Per mysterium sanctæ Incarnationis tuæ, libera.

Per adventum tuum, libera.

Per nativitatem tuam, libera.

Per baptismum et sanctum jejunium tuum, libera.

Per crucem et passionem tuam, libera.

Per mortem et sepulturam tuam, libera.

Per sanctam resurrectionem tuam, libera.

Per admirabilem ascensionem tuam, libera.

Per adventum Spiritus sancti Paracliti, libera.

In die judicii, libera.



Ut nobis parcas, te rogamus, audi nos.

Ut nobis indulgeas, te rogamus, audi nos.

Ut ad veram pœnitentiam nos perducere digneris, te rogamus.

Ut Ecclesiam tuam sanctam regere, et conservare digneris, te rogamus.

Ut domnum Apostolicum, et omnes ecclesiasticos ordines in sancta religione conservare digneris, te rogamus.

Ut inimicos sanctæ Ecclesiæ humiliare digneris, te rogamus.

Ut Regibus et Principibus christianis pacem, et veram concordiam donare digneris, te rogamus.

Ut cuncto populo christiano pacem, et unitatem largiri digneris, te rogamus.

Ut nosmetipsos in tuo sancto servitio confortare, et conservare digneris, te rogamus.

Ut mentes nostras ad cœlestia desideria erigas, te rogamus.

Ut omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas, te rogamus.

Ut animas nostras, fratrum, propinquorum, et benefactorum nostrorum, ab æterna damnatione eripias, te rogamus.

Ut fructus terræ dare et conservare digneris, te rogamus.

Ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris, te rogamus.

Pontifex surgit, et baculum pastoralem in sinistra tenens, stans versus ad Synodum dicit:

Ut hanc præsentem Synodum visitare, disponere, et bene ✝ dicere digneris. Te rogamus audi nos.

Producens signum crucis pariter super omnes: quo facto, iterum accumbit, cantoribus Litanias perficientibus.

Ut nos exaudire digneris, te rogamus, audi nos.

Fili Dei, te rogamus.



Agnus Dei qui tollis peccati mundi, exaudi nos, Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccati mundi, miserere nobis.

Christe, audi nos.
Christe exaudi nos.
Kyrie, eleison.
Christe, eleison.
} *ut ab initio.*



Quibus dictis, surgunt omnes et Pontifex, deposita mitra, dicit stans versus ad altare:

OREMUS.

Et ministri (excepto tempore Paschali):

Flectamus genua. ℟) Levate.

Da, quæsumus, Ecclesiæ tuæ, misericors Deus, ut Spiritu sancto congregata, secura tibi devotione servire mereatur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, Qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟). Amen.

5. Deinde Pontifex, accepta mitra, ascendit ad sedem sibi paratam in plano altaris, ita ut in ea sedens, dorsum suum vertat ad altare. Et imponit incensum in thuribulum, et benedicit more solito. Diaconus dalmatica indutus, præcedentibus thuriferario et duobus ceroferariis, et Subdiacono tunicella induto, paramentis rubeis, benedictione accepta a Pontifice, cantat in loco convenienti.

Sequentia sancti Evangelii ✝ secundum Lucam. Cap. 9.

In illo tempore: Convocatis Jesus duodecim Apostolis, dedit illis virtutem et potestatem super

omnia dæmonia, et ut languores curarent. Et misit illos prædicare regnum Dei et sanare infirmos. Et ait ad illos: Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis. Et in quamcumque domum intraveritis, ibi manete, et inde ne exeatis. Et quicumque non receperint vos, exeuntes de civitate illa, etiam pulverem pedum vestrorum excutite in testimonium super illos. Egressi autem, circuibant per castella, evangelizantes et curantes ubique.

Quo finito, liber Evangeliorum apertus per Subdiaconum portatur Pontifici per eum osculandus, qui et deinde incensatur. Quo facto Pontifex ipse ante sedem suam prædictam, deposita mitra, versus ad altare, atque alii omnes in locis suis genuflectunt. Tum Pontifex hic genuflexus incipit cantando, schola prosequente, hymnum: "Veni Creator Spiritus," prout habetur supra, p. 36.

Finito primo versu, Pontifex surgit, stans versus ad altare, sine mitra usque ad finem hymni; similiter omnes alii cum Pontifice surgunt. Dum cantatur hymnus, Ostiarii (ceremoniarii) excludunt laicos aliosque omnes qui ad Synodum non sunt vocati. Vide *Monitum* 2, p. 6.

Expleto hymno, omnes sedent in silentio, et Pontifex, accepta mitra sedens in sede prædicta supra, in plano altaris posita, eos, si placet, in hanc sententiam alloquitur:

Venerabiles consacerdotes, et fratres nostri charissimi, præmissis Deo precibus, oportet ut ea, quæ de divinis officiis, vel sacris Ordinibus, aut etiam de nostris moribus et necessitatibus Ecclesiasticis a nobis conferenda sunt, cum charitate et benignitate unusquisque vestrum

suscipiat, summaque reverentia, quantum valet, Domino adjuvante, percipiat; vel quæ emendatione digna sunt, omni devotione unusquisque fideliter studeat emendare: et si cui forte quod dicetur, aut agetur, displiceat, sine aliquo scrupulo contentionis, palam coram omnibus conferat: quatenus, Domino mediante, et hoc ad optimum statum perveniat; ita ut nec discordans contentio ad subversionem justitiæ locum inveniat, neque iterum in perquirenda veritate vigor nostri ordinis, vel sollicitudo tepescat.

6. Allocutione et sermone finito,* Secretarius decreta modo legenda secum ferens, comitatus a ceremoniario, accedit ad Episcopum, cui, facta debita reverentia, ea offert. Instat promotor (p. 71) pro aperienda Synodo. Præses (exquisito prius voto patrum, si agatur de Conc. prov.) decretum Secretario reddit qui facta rursus Præsidi reverentia, ascendit ambonem, ubi stans aperto capite, legit decretum (p. 75).

7. Lecto isto decreto, promotor instat pro legendis decretis preliminaribus (p. 72), quæ annuente præside, eodem modo a Secretario leguntur. Sunt hæc: de Synodi Officialibus (p. 76); de Præjudicio non afferendo (p. 77); de Methodo vitæ (p. 77); de non Discedendo (p. 79); et in C. Prov., de Secreto servando (p. 79).†

Decretis lectis Secretarius descendit de suggestu. In C. Prov. exquirit vota Patrum, quæ ad præsidem defert. Cfr., p. 69, n. 4.

Facta instantia (p. 94) pro lectione decretorum C. Trid. de Residentia, secretarius annuente Episcopo (*C. Pr.:* Patribus) ea promulgat.

8. Promotor nunc instat pro legendo decreto de Professione Fidei emittenda (p. 72). Lecto a Secretario decreto (p. 80) præses Episcopus vel Metropolita, ad altare genuflexus, ceteris similiter genuflexis synodalibus, alta voce pronuntiat Professionem Fidei (p. 84). Ceterum id fieri poterit a

* Vide *Monitum* 7, p. 7. † Vide *Monitum* 3, p. 6.

Secretario nomine totius Synodi; quo in casu legat usque ad verba: "Ego idem N. spondeo," etc., exclusive. Finita professione omnes surgunt. Episcopus in faldistorio sedens, Evangeliorum librum supra genua tenet. Accedunt synodales bini, terni vel quaterni, et manu dextera super librum posita, dicunt singuli: "*Ego N. N. idem spondeo, voveo ac juro. Sic me Deus adjuvet et hæc Sancta Dei Evangelia.*" Quibus dictis, osculantur evangeliorum librum.

In Concilio prov. ante reliquos synodales, prius accedunt singuli Episcopi, qui hac forma uti possunt: "Ego N., Episcopus N., idem spondeo," etc., ut supra.

9. His omnibus peractis Promotor instat pro vocatione nominum (p. 72), et lecto decreto (p. 76) secretarius ex catalogo synodalium singula nomina alta et distincta voce enuntiat. (Juxta alios nomina statim aperta Synodo vocantur.)

Lectione absoluta Promotor instat pro rogitu Notarii (p. 73) ac demum pro indictione proximæ sessionis (p. 73). Mandante præside Secretarius legit decretum de proxima sessione (p. 83).

10. Denique surgens Præses omnibus impertitur solemnem Benedictionem (Episcopis et Canonicis paratis stantibus) reliquis genuflectentibus, qua data omnes discedunt.

§ 2.—*Secunda Sessio.*

1. Non fit processio.

2. Missa in Synodo Diœcesana cantatur a Canonico (Vicario Generali, Prælato); in Concilio provinciali ab Episcopo suffraganeo. Cum in Synodo diœcesana tres sessiones communiter habeantur tribus diebus continuis, missa in secunda sessione erit de Requiem, pro generali Episcoporum et sacerdotum diœcesis defunctorum commemoratione. Post missam Episcopus facit absolutionem "ad pannum," cum non sit erigenda tumba.

In Concilio provinciali, cum actio synodalis per plures dies protrahi soleat, missa solemnis de Requiem et absolutio poterint celebrari quocunque die conciliari, etiamsi non

habeatur ea die sessio solemnis. Dies hæc et hora pro missa de Requiem celebranda, in præcedenti sessione vel congregatione generali indicanda est. Absolutio fit modo solemni a Metropolita et quatuor senioribus suffraganeis. Missa et absolutione peracta, quicunque synodales paramentis nigris induti fuerint, ea deponunt ac induunt rubra, ut in prima sessione.

3. Omnibus ad inchoandam sessionem paratis Episcopus accedit ad altare, ubi intonat antiphonam "Propitius esto," quam cantores prosequuntur cum psalmo.



Antiphona : Propitus esto peccatis nostris, Domine, nequando dicant gentes: Ubi est Deus eorum ?

Finita antiphona et incepto Psalmo sedet Præses, reassumpta mitra, usque ad finem Psalmi.

PSALMUS 78.

Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum: * posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam.

Posuerunt morticina servorum tuorum escas

volatilibus cœli: * carnes sanctorum tuorum bestiis terræ.

Effuderunt sanguinem eorum tanquam aquam in circuitu Jerusalem: * et non erat qui sepeliret.

Facti sumus opprobrium vicinis nostris: * subsannatio et illusio his, qui in circuitu nostro sunt.

Usquequo, Domine, irasceris in finem: * accendetur velut ignis zelus tuus.

Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt: * et in regna, quæ nomen tuum non invocaverunt.

Quia comederunt Jacob: * et locum ejus desolaverunt.

Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, cito anticipent nos misericordiæ tuæ: * quia pauperes facti sumus nimis.

Adjuva nos, Deus, salutaris noster; et propter gloriam nominis tui, Domine, libera nos: * et propitius esto peccatis nostris, propter nomen tuum.

Ne forte dicant in gentibus: Ubi est Deus eorum? * et innotescat in nationibus coram oculis nostris.

Ultio sanguinis servorum tuorum, qui effusus est: * introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum.

Secundum magnitudinem brachii tui, * posside filios mortificatorum.

Et redde vicinis nostris septuplum in sinu

eorum: * improperium ipsorum, quod exprobraverunt tibi, Domine.

Nos autem populus tuus, et oves pascuæ tuæ, * confitebimur tibi in sæculum.

In generationem et generationem * annuntiabimus laudem tuam.

Gloria Patri, etc.

Deinde finito psalmo; repetita Antiphona, Pontifex, deposita mitra surgit et stans versus ad altare, dicit:

OREMUS.

Nostrorum tibi, Domine, curvantes genua cordium, quæsumus, ut bonum quod in nobis a te requiritur exequamur: scilicet, ut prompta tecum sollicitudine gradientes, discretionis arduæ subtile judicium faciamus; ac misericordiam diligentes, clareamus studiis tibi placitæ actionis. Per Christum Dominum nostrum. ℟) AMEN.

OREMUS.

Mentibus nostris, quæsumus Domine, Spiritum sanctum benignus infunde, quatenus in nomine tuo collecti, sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis justitiam, ut hic a te in nullo dissentiat voluntas nostra, sed semper rationabilia meditantes, quæ tibi sunt placita, et dictis exequamur, et factis. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, Qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟) AMEN.

OREMUS.

Ministri (excepto tempore Paschali):

Flectamus genua. ℟) Levate.

Deus, qui nos justitiam loqui, et quæ recta sunt præcipis judicare; tribue nobis, ut neque iniquitas in ore, nec pravitas inveniatur in mente; ut puro cordi purior sermo consentiat, ostendatur in opere justitia, neque appareat dolus in lingua, sed ex corde veritas proferatur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. ℟) AMEN.

Tum cantatur Evangelium, ut supra, p. 51, n. 5.

Sequentia sancti Evangelii ✝ secundum Lucam. Cap. 10.

In illo tempore: Designavit Dominus et alios septuaginta duos: et misit illos binos ante faciem suam in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus. Et dicebat illis: Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. Ite: ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta, et neminem per viam salutaveritis. In quamcumque domum intraveritis, primum dicite: Pax huic domui: et si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra: sin autem, ad vos revertetur. In eadem autem

domo manete edentes, et bibentes, quæ apud illos sunt: dignus est enim operarius mercede sua. Nolite transire de domo in domum. Et in quamcumque civitatem intraveritis, et susceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis: et curate infirmos, qui in illa sunt, et dicite illis: Appropinquavit in vos regnum Dei.

Post "Veni Creator," dimisso populo, clauduntur portæ. Tunc Pontifex Synodum his verbis alloquitur, si velit:

Venerabiles, et dilectissimi fratres nostri, oportet, ut, sicut hesterna die admonuimus benignam mansuetudinem vestram, de divinis officiis, et sacris altaris gradibus, aut etiam de moribus et necessitatibus Ecclesiasticis, quæcumque emendanda, vel renovanda sunt, charitas omnium vestrum, ubicumque noverit aliqua emendatione condigna, in medium proferre non ambigat; ut per vestræ charitatis studium, Domino largiente, ad optimum perveniant statum, ad laudem et gloriam nominis Jesu Christi Domini nostri.

* 4. Post concionem promotor instat pro publicatione decretorum (p. 73); quibus a secretario ad finem prælectis, exquiritur, in Conc. prov., votum Patrum.

5. Sequuntur, quæ in prima sessione sub nn. 9, 10, habentur.

6. Eodem ordine sequentes quoque sessiones, si quæ ante ultimam habendæ sint, celebrantur. V. *Monit.* 8, p. 7.

* Juxta Pontificale Romanum, hic (n. 4) legendæ sunt Apostolicæ Constitutiones in Synodo nondum promulgatæ,

et decreta Conc. Prov ultimo celebrati. Usus tamen hodiernus id habet ut non amplius ipsissima verba, sed mere tenor illarum constitutionum ac decretorum in ipsius Synodi decretis enuntiatus promulgetur.

§ 3.—*Sessio Tertia et Ultima.*

1. Cantatur Missa de SS. Trinitate ab uno ex Suffraganeis, in Syn. Diœc. vero a canonico.

2. Post Missam assumptis paramentis rubris omnia fiunt ut in Sess. Prima, n. 3, p. 40.

Repetita antiphona "Exaudi" Præses, deposita mitra, surgit et stans versus ad altare dicit:

Oremus.

Ad te, Domine, interni clamoris vocibus proclamantes, unanimiter postulamus, ut respectu tuæ gratiæ solidati, præcones veritatis efficiamur intrepidi, tuumque valeamus verbum cum omni fiducia loqui. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. R) Amen.

Oremus.

Omnipotens, sempiterne Deus, qui sacro verbi tui oraculo promisisti, ubi duo, vel tres in nomine tuo congregati essent, te medium fore; adesto cœtui nostro propitius, et cor nostrum illumina misericors, ut a bono misericordiæ tuæ nullatenus aberremus, sed rectum justitiæ tuæ tramitem in omnibus teneamus. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, Qui tecum vivit

et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟) Amen.

Oremus.

Ministri (excepto temp. Paschali):

Flectamus genua. ℟) Levate.

Deus, qui populis tuis et indulgentia consulis et amore dominaris ; da Spiritum sapientiæ tuæ, quibus dedisti regimen disciplinæ: ut de profectu sanctarum ovium fiant gaudia æterna pastorum. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, Qui tecum vivit, et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟) Amen.

Tum Diaconus cantat Evangelium, ut supra, p. 51, n. 5.

Sequentia sancti Evangelii ✝ secundum Matthæum. Cap. 18.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Si peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quod si non auderit eos, dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, et publicanus. Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo: et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo. Iterum dico vobis: quia si

duo ex vobis consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo, qui in cœlis est. Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Tunc accedens Petrus ad eum, dixit: Domine, quoties peccabit in me frater meus, et dimittam ei? Usque septies? Dicit illi Jesus: Non dico tibi usque septies; sed usque septuagies septies.

Schola prosequente Hymnum: "Veni Creator," clauduntur portæ. V. *Monitum* 2, p. 6.

Expleto Hymno, Pontifex Synodum his verbis alloquitur, si velit.

Venerabiles, et dilectissimi fratres: convenit, ut ea quæ de Ecclesiasticis officiis et Sacerdotalibus gradibus, vel etiam Canonicis sanctionibus, propter diversas occupationes, aut (quod negare non possumus) propter nostram, aliorumque desidiam, non tam plene, ut oportet, executa sunt; omnium nostrum unanimi consensu et voluntate requirantur, et humiliter coram charitate vestra recitentur: ut quæ digna sunt emendatione, ad meliorem statum, auxiliante Domino, perducantur. Et cui fortasse aliquid, quod digestum est, displicet, charitati vestræ cum benignitate et modestia intimare non differat; quatenus totum quod synodali conventione nostra statutum fuerit vel renovatum, absque omni contrarietate, concordia sanctæ pacis ab omnibus

æque custodiatur ac teneatur, ad augmentum æternæ beatitudinis omnium nostrum.

3. Post hæc Promotor instat pro continuanda lectione decretorum, si quæ supersunt (p. 73).

4. Lectis omnibus Synodi decretis, Promotor instat pro delectu Testium Synodalium (p. 73). Lecto per Secretarium decreto (p. 82), Testes electi coram præside juramentum (p. 82) præstant.

5. Instat promotor pro eligendis Examinatoribus Synodalibus (p. 74). Legitur decretum (p. 81), et electione peracta promulgatisque nominibus, electi juramentum dant.

6. Instat promotor pro eligendis Commissariis Synodalibus (p. 74). Decreto ut supra perlecto (p. 81), promulgatis electorum nominibus, et ipsi in manus Episcopi jurabunt! *

Similiter fit propositio Consultorum, si in Syn. habeatur.†

7. In Conc. prov. promotor nunc instat pro subscribendis decretis (p. 74). Lecto a secretario decreto (p. 83), Patres accedunt ad altare ubi decretis subscribunt formula de qua prius inter se convenere.

Finita subscriptione Promotor instat pro indictione proximi Concilii provincialis (p. 74). Legitur, audito prius Patrum voto, decretum (p. 83).

8. Promotor deinde instat pro vocatione nominum (p. 72), qua facta, instat pro fine Synodo imponendo (p. 74). Lecto decreto (p. 83) facit rogitum ad Notarium (p. 73).

9. Fit pastoralis sermo ab Episcopo ad Clerum circa decretorum observantiam. Quo finito aperiuntur portæ ecclesiæ, ut populus admittatur.‡

10. In Concilio prov. poterit vel a Metropolita vel ab uno suffraganeorum allocutio haberi, qua finita aperiuntur portæ ecclesiæ. Succedunt acclamationes. Patres sta-

---

* Commissarios ad juramentum præstandum teneri, patet ex Instr. S. C. de P. F. circa causas criminales Clericorum, a. XII. (ap. C. Pl. Balt. III.). † Vide *Monitum* 6, p. 7. ‡ Vide *Monitum* 2, p. 6.

bunt cum mitra facie versa ad Synodum. Episcopi tunc accedunt ad Metropolitam ad accipiendum osculum pacis, quod et inter se invicem distribuunt.

11. Deinde Episcopus vel Metropolita intonat Hymnum: "Te Deum Laudamus" (p. 89) quem prosequuntur Clerus et cantores alternatim, nisi concentu polyphono a musicis cantetur. Hymno finito cantores versus sequentes cantant, respondente Clero:

V. Benedictus es, Domine, Deus Patrum Nostrorum.

R. Et laudabilis et gloriosus in sæcula.

V. Benedicamus Patrem, et Filium cum Sancto Spiritu.

R. Laudemus et superexaltemus eum in sæcula.

V. Benedictus es, Domine Deus, in firmamento cœli.

R. Et laudabilis, et gloriosus, et superexaltatus in sæcula.

V. Dne. exaudi. . . . R. Et clamor meus. . . Dominus vobiscum. Et cum. . . .

OREMUS.

Nulla est, Domine, humanæ conscientiæ virtus, quæ inoffense possit tuæ voluntatis judicia experiri; et ideo, quia imperfectum nostrum vident oculi tui, perfectioni deputa, misericors Deus, quod perfecto æquitatis fine concludere peroptamus; te in nostris principiis occursorem poposcimus, te in hoc fine judiciorum nostrorum indultorem nostris excessibus speramus, scilicet, ut ignorantiæ

parcas, errori indulgeas, ut perfectis votis perfectam operis efficaciam largiaris: et quia conscientia remordente tabescimus, ne aut ignorantia nos traxerit in errorem, aut præceps forsitan voluntas impulerit justitiam declinare; hoc te poscimus, te rogamus, ut si quid offensionis in hac Synodi celebritate contraximus, te miserante, indulgentiam sentiamus: ut in eo, quod soluturi sumus aggregatam Synodum, a cunctis primum absolvamur nostrorum nexibus delictorum; qualiter et transgressores venia, et confitentes tibi subsequatur remuneratio sempiterna. Per Christum Dominum nostrum. R) AMEN.

12. Oratione dicta Episcopus (Metropolita) impertit benedictionem solemnem cum indulgentia. Quibus peractis Diaconus cantat:

Recedamus cum pace.

Et repondent omnes:

In nomine Christi. Amen.

13. Tunc Episcopus et ministri recedunt in Sacristiam, ac depositis paramentis, redeunt in chorum ex quo processionaliter Episcopus a Clero ad domum Episcopalem deducitur. In Conc. prov. tam Episcopi quam reliqui omnes habitu chorali parati, in Sacristia paramenta ss. deponunt, et acceptis mozettis, Archiepiscopus vero Cappa magna, redeunt in chorum, etc. ut supra.

14. Si in fine hujus sessionis processio solemnis habeatur, facienda erit intonato a præside hymno "Te Deum Laudamus" Quo finito poterunt et alii hymni et psalmi decantari, prout ab episcopo ordinatum fuerit. Episcopo ad altare reduce, decantantur versiculi supra n. 11, positi. Reliqua fiunt ut ibidem.

Cap. II.—Ordo vel unius vel duarum Sessionum.

1. Cum Synodus Dioecesana duobus diebus absolvenda est, in prima sessione omnia fiunt, ut c. I., § 1. In secunda sessione, iisdem ut ib. § 2, n. 1–4 inclusive servatis, statim instat promotor pro eligendis testibus synodalibus, ut ibid. § 3, n. 4–13, quæ omnia ut ll. cc. notantur, ad finem usque fiunt.

2. Ordo unius sessionis obtinebitur, si iis quæ c. I., § 1, inde a n. 1–8 habentur, continuo addatur § 2, n. 4, et his continuo conjungantur, quæ § 3, nn. 4 sqq. usque ad finem traduntur.

3. Si in Synodo Dioecesana sessio post meridiem prosequenda sit, servatis quae c. I., § 1 traduntur, et facta nominum vocatione, promotor instabit: "Ut hac ipsa die sessio synodalis absolvi possit, ego N., hujus synodi promotor insto et rogo, ut sessio tempore pomeridiano continuatur." Annuente episcopo secretarius leget decretum de continuanda sessione (p. 83). Data benedictione omnes discedunt. Hora P. M. statuta sessio inchoabitur oratione "Adsumus" (p. 44). Leguntur statim decreta vel alia, prout episcopo placuerit. Omnibus perlectis serventur quae c. I., § 3, nn. 4 sqq. habentur.

Monitum.

In Synodo Dioecesana, si quae prima vel secunda die habeatur Cleri congregatio in qua de auditis decretis sententiam et vota proferant, quae per Cleri procuratorem episcopo suggerantur, ea fieri potest hora postmeridiana sub praeside Canonico vel Vicario generali, ad modum congregationis generalis in Concilio provinciali (p. 20, § 3).

PARS TERTIA.

Ordo Formularum.

PARS TERTIA.

ORDO FORMULARUM.

Cap. I.—Prænotanda.

1. Formulæ appellandi Præsidem in Synodo sive Diœcesana sive Provinciali hæ sunt: Si Episcopus sit appellatur: "Reverendissime in Christo Pater;" si Archiepiscopus: "Illustrissime et Reverendissime in Christo Pater;" si sit Cardinalis: "Eminentissime et Reverendissime in Christo Pater."

2. Decretis legendis quæ ad ordinem synodalem spectant a lectore præficiendus est plenus titulus episcopi; hoc modo:

a, in Syn. Diœc.: Nos N. N. Dei et Apostolicæ Sedis gratia (Archi-) Episcopus Ecclesiæ N.

b, in Syn. Prov.: Nos N. N. Dei et Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Ecclesiæ N. et Metropolita Provinciæ N.

3. Ad varias promotoris instantias, exceptis iis de quibus infra n. 5, Episcopus vel Metropolita respondet: "Decernimus, mandamus ita fieri;" vel: "Ita mandamus ac jubemus;" vel, si ita res ferat: "Legatur decretum;" vel alia formula convenienti.

4. In Synodo Diœcesana solus Episcopus legislator est. At vero in Synodo Provinciali episcopi ut judices

subscribunt. Eorum igitur vota scrutanda sunt. Lectis porro decretis, nisi in antecessum sententia Episcoporum quæsita fuerit, ut in decretis de quibus n. 5, Secretarius statim eos interrogat: "Reverendissimi in Christo Patres. Placentne Vobis decreta modo prælecta?" Tunc ipsemet vel ejus socius cum Notario adit singulos Patres exquirens eorum consensum, quem acceptum refert Metropolitæ, qui dicit: "Decreta placuerunt Patribus; ideo agendæ sunt Deo gratiæ." Patres respondent: "Deo gratias."

5. Quando vero ferenda sunt decreta de aperiendo Concilio, de proxima sessione indicanda, vel de fine Concilii faciendo, facta a promotore instantia, Metropolita respondet: "Exquiratur Reverendissimorum Patrum sententia." Quorum consensu per secretarium vel ejus socium relato, Præses dicit: "Legatur decretum."

6. In Synodo Diœcesana alias formulas instantiarum, breviores nimirum ac simpliciores iis quæ in Concilio Provinciali leguntur, adhibere poterit, quibus petitionis rationibus omissis rogat quod faciendum est. V. gr. "Ego N., hujus Synodi promotor, insto ac peto, ut . . . etc."

7. Attento sequentium formularum lectori difficile non erit videre quinam pro synodorum indole, vel temporum, locorum et personarum diversitate termini vel vocabula, qui suis locis inserantur, seligendi sint. Illud unum dixisse sufficiat, scilicet, in decretis Synodi Provincialis cum verbo "Synodus" alterum illud "Concilium" permutare fas esse. Cum sequentes formulæ adaptatæ sint Synodo Diœcesanæ, verba quæ in Concilio Provinciali *substituenda* sunt, intra parenthesim his literis notantur; *C. P.*; quæ vero *addenda* sunt, literis: *C. P. a.*

8. Necesse non est animadvertere, nullum Episcopum has ipsas formulas sequi teneri. Speciminis causa hic proferuntur. Qui alias in Synodo adhibendas desiderat, curare debet ne quæ in forma decreti a Secretario legenda sunt, in forma instantiæ a promotore anticipata proferantur, ex quo inanis oriretur repetitio. Hoc quidem in Concilio Provinciali, mutata verborum sententia, ad majorem et in formulis servandam solemnitatem fieri potest.

9. Formulam edicti pro indicenda Synodo hic exhibendam non censemus, cum plurimæ videri possint in Collectione Conciliorum Recentiorum Lacensi. Edicti hujus præcipua capita hæc plerumque habentur: *a*, tempus et locus Synodi habendæ; *b*, personæ quæ Synodum adire jure vel consuetudine tenentur; *c*, materia majoris momenti ibidem tractanda; *d*, præmonitiones pro synodalibus; *e*, supplicationes a Clero populoque pro felici Synodi successu faciendæ.

10. Cum in eadem Collectione Lacensi egregiæ acclamationum formulæ facile inveniri possint, a tali forma hic referenda abstinemus. Quas Metropolita acclamationes faciendas elegerit, eæ typis impressæ synodalibus distribuantur.

Cap. II.—Formulæ Instantiarum pro Promotore.

1. *Pro Synodo Aperienda.**

Quoniam dies faustissima et omnibus Nobis lætissima hodie advenit quo Synodus diœcesana (*C. P.*: provincialis) celebranda sit, et omnes qui huic Synodo

* Si duo sint promotores, cui formulas sequentes legere contingat, loquatur in numero plurali posito utriusque nomine; hoc modo: Nos, N. N. et N. N. hujus Synodi promotores nominati et constituti instamus et supplices oramus . . . etc.—*Gavanti.*

de jure et consuetudine interesse debent, hic in Domino congregatos esse videamus, ego N. N. hujus Synodi promotor nominatus et constitutus, insto et supplex oro, ut hanc Synodum aperiendam et jam apertam esse decernatur.

2. *Pro Decretis Præliminaribus.*

Secundum antiquam Ecclesiæ disciplinam ille semper usus observatus est ut in initio Synodi diœcesanæ (*C. P.*: provincialis) varia decreta ederentur et prælegerentur. Hæc decreta sunt: de non præjudicando, de modo vivendi, de non discedendo, de Synodi officialibus (*C. P. a.*: de secreto servando). Quam ob rem ego hujus Synodi promotor insto et peto, ut quemadmodum usus id exigit, hæc decreta ex ambone prælegantur et promulgentur.

3. *Pro Professione Fidei.**

Quum Sacrosancta Synodus Trid., S. xxv., c. ii., de Ref., sanciverit ut singuli (*C. P. a.* Episcopi ac presbyteri) in Synodo congregati publicam fidei professionem emittant, necnon Summo Romano Pontifici veram obedientiam promittant et profiteantur; ego N. N. hujus Synodi promotor insto atque supplex oro, ut decretum de emittenda professione fidei legatur ac promulgetur.

4. *Pro Vocatione Nominum.*

a. Cum jam dies advenerit qua ex Indictione Synodi omnes vocati adesse tenentur, ego N. N. hujus synodi promotor insto ac peto ut omnes et singuli (*C. P. a.*: Reverendissimi Episcopi aliique) synodales nominatim vocentur.

b. Cum jam Synodus hæc diœcesana (provincialis) proxime dimittenda sit, insto ac peto ut prius omnes et singuli etc. . . . *ut supra.*

---

* Instantiam pro decr. de Resid. vide p. 94.

5. *Pro Rogitu Notarii.**

Ego N. N. hujus Synodi Promotor admoneo et rogo Te, venerabilem hujus Synodi notarium, ut pro officio tuo omnes qui ab hac sessione abfuerunt diligenter adnotes, atque omnium quæ tractata et peracta sunt, accuratam ac fide dignam relationem conficias.

6. *Pro Decretorum Lectione.*†

a. In Conc. Prov.—Quum post repetitam congregationum consultationem et Reverendissimorum Episcoporum maturam deliberationem, Deo adjuvante, jam id obtentum sit, ut plura decreta et statuta communi assensu Patrum potuerint definiri, ego N. N. hujus Synodi promotor, devotissime insto, ut horum decretorum, publicatio et promulgatio fiat.

b. In Synodo Diæc.—Ego, N.N., hujus Synodi promotor peto atque insto, ut quæ a Reverendissima tua Amplitudine in hac Synodo diœcesana edici et enunciari ordinata sunt, omnia de suggestu promulgentur.

7. *Pro Continuanda Lectione Decretorum.*

Cum ea quæ cœpta sunt legi decreta propter angustiam temporis absolvi nequiverint, ego, N.N., hujus Synodi promotor peto et insto ea legi, quæ desiderantur antequam dimittatur Synodus.

8. *Pro Indictione Proximæ Sessionis.*

Cum ex usu synodali in præsenti sessione tempus proximæ sessionis indicendum sit, ego, N.N., hujus Synodi promotor, insto ut idem quoque nunc fiat.

9. *Pro Testibus Synodalibus Nominandis.*

Antiquus mos in Synodis observatus exigit ut duo saltem testes synodales (*C. P. a.* : pro qualibet Diœcesi)

* Vide *Monitum* 4, p. 6. † Vide *Monitum* 1, p. 6.

deligantur et nominentur. Quamobrem ego, N.N., hujus Synodi promotor insto et oro ut decretum de Testibus Synodalibus promulgetur.

10. *Pro Examinatoribus Synodalibus Nominandis.*

Adhibeatur formula præcedens posito nomine Examinatores *loco* Testes.

11. *Pro Commissariis Synodalibus Nominandis.**

Cum ex Apostolicæ Sedis mandato in hac Synodo quinque (tres) commissarii synodales deputandi sint, ego, N.N., hujus Synodi promotor, peto ac insto ut decretum de Commissione Investigationis legatur.

12. *Pro Subscribendis Decretis.*

Cum opitulante Deo et auspice Maria horum Statuum Fœderatorum Patrona primaria, plura jam sint ab hujus Concilii Provincialis Patribus sancita decreta quæ, uti sperandum, valde huic provinciæ utilitati erunt atque decori, ego, N.N., hujus Conciliii promotor rogo ut hæc decreta ab omnibus Synodi Patribus subscribenda decernantur.

13. *Pro Indictione Proximi Concilii.*

Probato Conciliorum Provincialium mori insistens, ego N.N. hujus Concilii promotor, insto et oro ut tempus celebrandi Concilii Provincialis proximi jam nunc determinetur et præfigatur, ac decretum de futuri Concilii termino promulgetur.

14. *Pro Conclusione Synodi.*

Cum omnia in præsenti Synodo facienda absoluta jam habeantur nec ulteriora peragenda supersint, ego N.N. hujus Synodi promotor, rogo atque insto ut huic

* Instantiam pro Consult. Diœc. vide p. 94.

Synodo Diœcesanæ N. (Concilio Provinciali N.) finis imponendus et jam impositus decernatur.

15. *Pro Admissione Externorum.*

Mos est in Synodis Provincialibus approbatus ut præter synodales alii quoque viri, quibus in Concilio sedere nec jure nec consuetudine competit, ad congregationes generales et sessiones admittantur, si petentibus illis Patres Concilii talem honorem opportune deferendum censeant. Cum itaque sint quidam reverendi viri qui in congregationem (sessionem) admitti petant, ego N.N. hujus Concilii promotor, suppliciter eorum nomine rogo ut decidere dignetur Illustrissima tua Amplitudo, an sint admittendi?

Cap. III.—Formulæ Decretorum pro Secretario.

1. *De Aperienda Synodo.*

In nomine Sanctæ et Individuæ Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Nos, N.N. Dei et Apostolicæ Sedis gratia (Archi-) Episcopus Ecclesiæ N., ad omnipotentis Dei majorem gloriam, et in honorem B. M. V. sine labe originali conceptæ, horum Statuum Fœderatorum Patronæ primariæ, ad laudem sancti N., hujus Diœcesis (Provinciæ) patroni, necnon ad augmentum Catholicæ Fidei atque ad disciplinæ sanctæ decorem promovendum, (*C. P. a.*: de consilio et assensu Reverendissimorum Episcoporum comprovincialium nostrorum) hanc synodum Diœcesanam N. (provincialem N.) quam auctoritate Nostra, edicto de die . . . mensis . . . hujus anni indiximus, ut legitime convocatam et congregatam, hac ipsa die Dominica . . . quæ est (1ma, 2da) mensis . . . aperiendam esse decernimus atque nunc jam apertam esse declaramus. P. Ch. D. N.

2. *De Synodi Officialibus.*

Quoniam ad actiones Synodi servato sacræ Liturgiæ tenore et traditionis ecclesiasticæ more, rite, ordinatim et expedite peragendas opus sit, ut quidam hujus Synodi ministri designentur, qui Nobis (et hujus Concilii Provincialis Patribus) variis in fungendis officiis præsto sint, ideo (*C. P. a.:* de Patrum consensu) sequentes Synodi officiales constituimus:

Promotorem: R. D. N.N.
Judices Querelarum et Excusationum: RR. DD. N.N.
Procuratores Cleri: RR. DD. NN.
Secretarium: R. D. N.N.
Ejus vero socios: RR. DD. NN.
Notarium: R. D. N.N.
Magistrum Ceremoniarum: R. D. N.N.
Ejus vero socios: RR. DD. NN.
Magistrum Cantorum: R. D. N.N.

3. *De Vocatione Nominum.**

Cum hodie auspicante Deo, feliciter aperta (finienda) sit hæc Synodus diœcesana N. (provincialis N.), ut sacrorum canonum præscripto fiat satis, decernimus ac

---

* Titulus unicuique nominato permittatur, et post cognomen addatur, si ei competit, J. U. D., S. T. D., etc., etc.

Appellatur vero:

Præpositus capituli	:	Rev. adm. Dominus.
Canonicus Eccl. cath.	:	" " "
Vicarius generalis	:	" " "
Prælatus de Mantelleta	:	Ill^{mus} et Rev^{mus} Dom.
" de Mantellone	:	Ill^{mus} Dom.
Clerus sæcularis	:	Rev^{s} Dominus.
Abbas Ordinarius	:	Ill^{mus} et Rev^{mus} Dom., Pater.
Abbas generalis	:	Rev^{mus} Dom., Pater.
Abbas simplex	:	" " "
Præses Congregat.	:	" " "
Presbyter Ordinis relig.	:	Rev^{s} Pater.
Monachus S. Benedicti	:	Rev^{s} Dominus.

mandamus (*C. P. a:* assentientibus Concilii Patribus) ut omnes (*C. P. a:* tam Reverendissimi Episcopi quam presbyteri) qui ad Synodum sunt vocati, quique eidem jure vel consuetudine interesse debent, nominatim vocentur, absentes vero notentur.

Placeat igitur (*C. P. a:* Reverendissimis Patribus ceterisque) synodalibus, vocato eorum nomine, respondere: Adsum.

4.—*De Præjudicio non Afferendo.*

Normæ a Sacrosancto Concilio Tridentino sancitæ (Sess. II.) morem gerentes, decernimus, "quod si forte contigerit aliquos debito in loco non sedere, et sententiam proferre, Congregationibus aut Sessionibus interesse, et alios quoscumque actus facere, Synodo durante, nulli propterea præjudicium generari, nullique novum jus acquiri;" adeo ut, post conclusam Synodum omnia circa præcedentiæ quæstionem in eodem loco ac ante permaneant.

5.—*De Methodo Vitæ Servanda.*

Cum Episcopi et Sacerdotes sint Lux mundi ac Sal terræ a Domino designati, profecto deberent cum toto vitæ deccursu, tum vero præsertim quando in unum, afflante Spiritu sancto, sunt congregati, lucere tanquam lucernæ in domo Dei, et exemplo sancto, tanquam sale, corda inspectantium fidelium condire, ut videntes eorum opera bona, glorificent Patrum nostrum qui est in cœlis. Quapropter memores verborum Psalmistæ, "Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui ædificant eam," studeant omnes hujus Synodi Patres ac synodales, precibus assiduis ad Patrum Luminum effusis, ab eo efflagitare divinam illam sapientiam quam omnibus corde humili ac fide

plena rogantibus dat affluenter et non improperat; Ipse enim "pro bona voluntate operatur in nobis et velle et perficere."

Synodo igitur durante, omnes singulis diebus sacris vacent meditationibus, Sacrosanctum Sacrificium vel offerant, vel saltem eidem devote adsistant; in tota vitæ ratione ita se gerant, ut omnibus sint ædificationi, bonumque Christi odorem circumquaque diffundant; quo omnes ad pietatem eorum aspectu moveantur.

Quumque magno Nobis in hac Synodo imposito operi imparibus omnino simus viribus, Confratres Nostros in Domino rogamus, quatenus sapientissimis suis consiliis Nos adjuvent, ut Nobiscum cooperante Spiritu sancto, quæ ecclesiis nostris sint majori bono, vel ad Religionem sanctam amplificandam ornandamque, vel ad corrigendos abusus qui ex fragilitate humana forte irrepserint, atque ad disciplinam sanam roborandam, et Nobis ipsis clare innotescant, et sapientibus firmentur decretis. De rebus in Synodo pertractandis omnes igitur mentes suas plena libertate pandant, ea tamen ratione, ut "fraterna charitate invicem diligentes," "omnia nostra in charitate fiant." Uti enim monet, post Toletanum Concilium, Sacrosancta Tridentina Synodus: "In sententiis dicendis, in loco benedictionis considentibus Domini Sacerdotibus, nullus debet aut immodestis vocibus perstrepere aut tumultibus perturbare; nullus etiam falsis vanisve aut obstinatis disceptationibus contendere: sed quidquid dicatur, sic mitissima verborum prolatione temperetur, ut nec audientes offendantur, nec recti judicii acies perturbato animo inflectatur." (*C. P. a.*: "Et quoniam," monente eodem Concilio, "oportet Episcopos esse irreprehensibiles, sobrios, castos, domui suæ bene præpositos, hortamur etiam, ut ante

omnia quilibet in mensa servet sobrietatem, moderationemque ciborum : deinde cum in eo loco sæpe otiosi sermones fieri soleant, ut in ipsorum Episcoporum mensis divinarum Scripturarum lectio admisceatur." Singulis igitur diebus in mensa, præter Sacrarum Litterarum selectum caput, Martyrologium etiam legatur Romanum). Demum, quo abundantius in Nos quæ bono sint Ecclesiæ deliberantes Spiritus Sancti dona descendant, enixe in Domino omnes Synodales et fideles in hac degentes urbe rogamus, ut die noctuque instent orationibus, ecclesias frequentent, peccata sua animo contrito confiteantur, sacraque communione digne reficiantur; ut placato Domino, peccata nostra vel parentum nostrorum non amplius reminiscatur, sed tam Sacerdotibus quam concreditis ipsis gregibus omnia elargiatur bona.

6.—*De non Discedendo.*

Ut consentientibus omnibus ad finem feliciter perducantur nostræ in Domino deliberationes, districte ne quis Synodalium nisi finita Synodo (*C. P. a.:* et subscriptis ejusdem actis atque decretis) discedat, absque gravi ac justa causa, a Nobis post relationem Excusationum Judicum probanda, prohibemus. (*C. P. a.:* Quod si hujusmodi obtinuerit licentiam, si fuerit Episcopus, non prius discedat quam Procuratorem rite constituat qui ejus gerat vices.)

7. *De Secreto servando* (*et libello restituendo*).

Quoniam quæ auxiliante Domino in Concilio præsenti tractabuntur, et prout Patribus visum fuerit statuentur, ante sperandam Sedis Apostolicæ approbationem publici juris minime fieri poterunt ; decet omnino, ut omnes et singuli ad Synodum vocati, et ad singu-

las congregationes admissi, communicatam decretorum materiam p'e silentio celare studiosissime satagant. Cum insuper in actionibus synodalibus et materiæ tractandæ modo varia evenire possint, quæ ad notitiam aliorum delata tum sinistras rei interpretationes tum maligna præjudicia, imo et procaces cavillationes, necnon exinde oriundam rerum ac personarum vilipensionem provocare possent; idcirco de consilio et assensu Reverendissimorum confratrum Episcoporum, omnes et singulos Synodi hujus consultores et officiales pariterque illos viros ecclesiasticos, qui ad unam alteramve congregationem admittentur, strictissimo servandi secreti (et libelli statutorum restituendi) officio devinctos esse declaramus et palam pronuntiamus. Si quem judices synodales deprehenderint secreti hujus (aut restitutionis) violatorem, causa examinata reum ad Nos deferant pro culpæ gravitate puniendum. Promittent itaque singuli hic præsentes per fidem sacerdotalem, se tenorem in congregationibus et sessionibus legendorum usque ad promulgationem publicam suo tempore faciendam perfecto ac religiosissimo silentio celaturos (libellos vero statutorum fideliter restituturos) esse.*

8. *De Professione Fidei emittenda.*

Cum inter omnes pastoralis officii solicitudines illa potissimum prima esse debeat, ut Fides Catholica quam Sacrosancta Romana Ecclesia tenet et quæ solidissimo Petræ fundamento nititur, incorrupta in hac diœcesi (provincia) vigeat et augescat, decernimus et statuimus, ut ab unanima professione ejusdem fidei, quam Salutis humanæ initium et fundamentum prædicamus, præsentis quoque Synodi actiones sumant exordium et incrementum. Corde

* Vide *Monitum* 3, p. 6.

enim creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem. Idcirco patrum exempla et S. Concilii Trid. ordinationem pie venerantes præcipimus (*C. P. a.*: et Rev^mos^ confratres Episcopos) necnon omnes in hac Synodo congregatos invitamus, ut professionem fidei secundum formam a Pio Papa IV. concinnatam emittant, una cum clausula de R. P. Primatu deque ejus infallibili magisterio addenda juxta Pii fel. rec. Papæ IX. præscriptum.

9. *De Examinatoribus Synodalibus.*

Patres in Conc. Plenario Balt. III. congregati omnium in his Statibus Fœderatis diœcesium Episcopis mandarunt, ut singulis annis juxta mentem Concilii Trid. in Synodis diœcesanis examinatores Cleri constituant. Patrum mandato obsequentes aliquot virorum ecclesiasticorum nomina proponimus, facultatem Vobis facientes ut ex iis sex (*vel plures ad Episcopi arbitrium*) viros in examinatores synodales eligatis.

Facta electione et promulgatis nominibus Secretarius electos ad dandum jusjurandum vocat:

Qui electi sunt Examinatores (Commissarii, Testes) synodales ad Nos accedant, jusjurandum ex præscripta formula præstituri. Si quos vero Examinatores (Commissarios, Testes) electos ab ista Synodo abesse contingat, ii peracta Synodo juramentum præstabunt, prouti mandaverimus.

10. *De Commissariis Synodalibus.*

Cum ex S. Sedis dispensatione in Nostra diœcesi curia episcopalis nondum instituta sit, proindeque Nobis adhuc observanda sit Instructio S. C. de P. F. circa Commissionem Investigationis constituendam,

aliquot virorum ecclesiasticorum nomina proponimus, facultatem Vobis facientes ut ex iis quinque (tres) presbyteros in Commissarios synodales eligatis.

Qui electi fuerint Commissarii, etc., *ut. pr. decr.*

11. *De Testibus Synodalibus.**

Cum usus in celebrandis synodis postulet ut (*C. P. a.*: pro qualibet diœcesi) duo viri ecclesiastici ætate moribusque graves, prudentes ac vitæ et disciplinæ purioris amantes ut testes synodales eligantur et constituantur, quorum munus est diligenter attendere ut decreta ab hac Synodo condita (*C. P. a.*: postquam obtenta Apostolica recognitione publicata fuerint) in diœcesi (provincia) ubique executioni mandentur, quibusque prætera incumbit de omnibus quæ ab exitu hujus Synodi usque ad proximam ecclesiæ ordini rectæque disciplinæ obstantia, quosque defectus vel abusus tam in Clero quam in populo tollendos, interea compererint, ad diœcesis episcopum (provinciæ metropolitam) vel jam ante futuram Synodum, si id postulatum fuerit, vel postea Synodo congregata, sincere ac veraciter referre. Hinc eundem usum retinentes (de consilio et assensu episcoporum comprovincialium) duos testes synodales (pro qualibet diœcesi) eligere et nominare decrevimus.

Nominamus igitur testes synodales: RR. DD. NN.

Qui nominati sunt Testes synodales, etc., *ut 9. decr.*

12. *Jusjurandum ab Examinatoribus, Commissariis et Testibus Synodalibus præstandum.*

Ego, N.N., examinatoris (commissarii, testis) synodalis officium, quod suscepi, me fideliter et sincere, quantum in me est, executurum promitto, spondeo ac juro. Sic me Deus adjuvet et hæc Sancta Dei Evangelia.

---

* Decr. de Consult. Diœces. vide p. 94.

13. *De Continuatione Sessionis.*

Decernimus et indicimus continuandam esse hanc sessionem (1m, 2m) hodie, hora . . . . postmeridiana.

14. *De Proxima Sessione.*

Decernimus et indicimus (*C. P. a.*: assentientibus Episcopis comprovincialibus) hujus Synodi sessionem secundam (3m, 4m) habendam esse die . . . . hujus mensis, hora . . . . antemeridiana.

15.—*De Subscribendis Statutis.*

Postquam auxiliante Deo eo pervenimus ut omnia quæ huic Synodo deliberare, statuere ac definire placuit nunc peracta sint et absoluta, fraterna caritate obsecramus et admonemus Reverendissimos Patres, qui huic Synodo intersunt, ut secundum Nos singuli loco et ordine ad altare majus accedant, et iis quæ in hoc Concilio Provinciali statuta et definita sunt, subscribant.

16.—*De Proximo Concilio.*

Antiquum Conciliorum Provincialium morem, quo in fine ultimæ sessionis tempus Concilii subsequentis proximi præfigitur sequentes, de assensu Reverendissimorum episcoporum comprovincialium nostrorum, statuimus et decernimus proximum subsequens Concilium Provinciale anno . . . . celebrandum esse; ita tamen ut hic terminus contrahi aut prorogari libere possit, prout rerum ac temporum ratio in provincia Nostra Ecclesiæ incremento et prosperitati conducere videbitur.

17.—*De Conclusione Synodi.*

Cum omnia quæ (*C. P. a:* Reverendissimis Patribus) in hac Synodo deliberare et statuere placuit. Deo

O. M. auxiliante, feliciter peracta et ad finem deducta sint, atque ut pastores (*C. P.* Reverendissimi Patres) ad greges sibi in Domino commissos reverti possint, Nos auctoritate Nostra episcopali (*C. P.:* metropolitana, de consilio et assensu Reverendissimorum Patrum) decernimus huic Synodo diœcesanæ N. (provinciali N.) finem fieri et jam factum esse. Ideoque congregatam Synodum dimittimus in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Cap. iv.—Formulæ Precum.

1. *Professio Fidei Tridentina.**

Ego N. firma fide Credo, et profiteor omnia et singula, quæ continentur in Symbolo Fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur; videlicet, Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli et terræ, visibilium omnium, et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum, ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cœlis. Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine: et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die, secundum Scripturas. Et ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos; cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominum, et vivificantem, qui ex Patre,

* Hæc fidei professio in futurum ab omnibus omnino synodalibus facienda est, sive in præcedenti synodo eam emiserint, sive non. Ita exoptat S. C. de Prop. F.

Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur, et conglorificatur: qui locutus est per prophetas. Et unam sanctam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi sæculi. Amen. Apostolicas et Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes, et constitutiones firmissime admitto et amplector.

Item Sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto; nec eam umquam nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam et interpretabor.

Profiteor quoque septem esse vere et proprie Sacramenta novæ legis, a Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, et Matrimonium; illaque gratiam conferre, et ex his Baptismum, Confirmationem, et Ordinem, sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in supradictorum omnium sacramentorum solemni administratione recipio et admitto: omnia et singula quæ de peccato originali et de justificatione, in sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio.

Profiteor pariter, in Missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium sacrificium, pro vivis et defunctis; atque in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse vere, realiter, et substantialiter Corpus, et Sanguinem, una cum anima et Divinitate Domini nostri Jesu

Christi, fierique conversionem totius substantiæ panis in Corpus, et totius substantiæ vini in Sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia Transsubstantiationem appellat.

Fateor etiam, sub altera tantum specie, totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas Fidelium suffragiis juvari. Similiter et Sanctos una cum Christo regnantes, venerandos, atque invocandos esse ; eosque orationes Deo pro nobis offerre ; atque eorum reliquias esse venerandas. Firmissime assero, imagines Christi, ac Deiparæ semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse ; illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam, Catholicam, et Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum matrem et magistram agnosco ; Romanoque Pontifici, beati Petri Apostolorum Principis successori, ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo ac juro. Cætera item omnia a sacris Canonibus et Œcumenicis Conciliis, ac præcipue a sacrosancta Tridentina Synodo et ab Œcumenico Concilio Vaticano tradita, definita ac declarata, præsertim de Romani Pontificis Primatu et Infallibili Magisterio, indubitanter recipio atque profiteor ; simulque contraria omnia, atque hæreses quascumque ab Ecclesia damnatas et rejectas et anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, et anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor, et veraciter teneo, eamdem integram et inviolatam, usque ad extremum vitæ spiritum, constantissime

(Deo adjuvante) retinere et confiteri, atque a meis subditis, vel illis quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, et prædicari, quantum in me erit, curaturum: Ego idem N. spondeo, voveo, ac juro. Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia.

2. *Preces ante et post Congregationes.*

De Spiritu Sancto.

Veni Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, et tui amoris in eis ignem accende.

V. Emitte Spiritum tuum et creabuntur.

℟. Et renovabis faciem terræ.

Oremus. Deus qui corda fidelium Sancti Spiritus illustratione docuisti, da nobis in eodem Spiritu recta sapere et de ejus semper consolatione gaudere. P. Ch. D. N.

De B. M. V. Immaculata Patrona.

Sancta Maria, succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu; sentiant omnes tuum juvamen quicunque celebrant tuam sanctam Immaculatam Conceptionem.

V. Immaculata Conceptio tua, Dei Genitrix Virgo.

℟. Gaudium annuntiavit universo mundo.

Oremus. Deus, qui per Immaculatam Virginis Conceptionem dignum Filio tuo habitaculum præparasti; quæsumus, ut qui ex morte ejusdem Filii tui prævisa eam ab omni labe præservasti, nos quoque mundos ejus intercessione ad te pervenire concedas.—P. E. Ch. D. N.

Ante Actionem.

Oremus. Actiones nostras quæsumus, Domine, aspirando præveni et adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio et operatio a Te semper incipiat et per Te cœpta finiatur.—P. Ch. D. N. Amen.

Ave Maria.

Post Actionem.

Agimus tibi gratias Omnipotens Deus, pro universis beneficiis tuis.—Qui vivis, etc.

Sub tuum præsidium confugimus, sancta Dei Genitrix; nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, sed a periculis cunctis libera nos semper, Virgo gloriosa et benedicta: Domina Nostra, Mediatrix Nostra, Advocata Nostra, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repræsenta.

V. Ora pro nobis . . .

Oremus. Gratiam tuam quæsumus, Domine, mentibus nostris infunde, ut qui angelo nuntiante Christi filii tui incarnationem cognovimus, per passionem ejus et crucem ad resurrectionis gloriam perducamur.—P. E. Ch. D. N.

3. TE DEUM LAUDAMUS.




cœ - li et ter - ra ma - je - sta - tis glo - ri - æ tu - æ.


Te glo-ri - o - sus A - pos - to - lo - rum Cho - rus.


Te Pro-phe - ta - rum lau - da - bi - lis nu - me- rus.


Te Mar-ty-rum can-di - da - tus lau - dat ex - er - ci-tus.


Te per or - bem ter - ra - rum san - cta con-fi - te - tur


Ec-cle - si - a. Pa - trem im-men-sæ ma - je - sta - tis.


Ve - ne-ran-dum tu-um ve - rum et u - nicum Fi - li-um.


San · ctum quo-que Pa - ra - cli - tum Spi - ri- tum.


Tu Rex glo - ri - æ Chris-te. Tu Pa - tris sempi - ter - nus


es Fi - li - us. Tu ad li - be - ran - dum sus - cep - tu - rus


ho - mi - nem non hor - ru - i - sti Vir - gi - nis


u - te - rum. Tu de - vic - to mor - tis a - cu - le - o


a - pe - ru - i - sti cre - den - ti - bus reg - na cœ - lo - rum.


Tu ad dex - te - ram De - i se - des in glo - ri - a Pa - tris.


Ju - - dex cre - de - ris es - se ven - tu - rus.


Te er - go quæ - su - mus tu - is fa - mu - lis sub - ve - ni


quos pre - ti - o - so san - gui - ne re - de - mi - sti.


Æ - ter - na fac cum San - ctis tu - is in glo - ri - a


nu - me - ra - ri. Sal - vum fac po - pu-lum tu - um


Do - mi - ne: et be - ne-dic hæ - re - di - ta - ti


tu - - æ. Et re - ge e - os et ex - tol - le il - los

us - que in æ-ter-num. Per sin - gu - los di - es


be - ne - di - ci - mus te. Et lau - da - mus no - men


tu - um in sæ - cu-lum, et in sæ - cu - lum sæ - cu - li.


Dig - na - re Do - mi-ne, di - e is - to si - ne


pec - ca - to nos cu - sto - di - re. Mi - se - re - re


nos - tri, Do - mi - ne: mi - se - re - re nos - tri.









4. CANTICUM B. M. V.

TON. 6.





5. CANTICUM ZACHARIÆ.

TON. 1.



FIN. 2.



APPENDIX.

Instantia pro Legendis Decretis Tridentinis de Residentia.

Præcipit S. Tridentina Synodus, ut quæ ab ipsa de Episcoporum aliorumque residentia tum in Sess. vi., c. 1 de Ref., cum in Sessione xxiii., item c. 1 de Ref., statuta sunt, in conciliis tam provincialibus quam episcopalibus publicentur. "Cupit enim, quæ adeo ex pastorum munere animarumque salute sunt, frequenter omnium auribus mentibusque infigi." Itaque ego N. N., synodi promotor, peto ac insto, ut decreta Tridentina supradicta publice legantur.

Addenda Instantiæ pro Decretorum Lectione (n. 6, p. 73), si fiat per summaria capitum.

Ne vero Synodi negotia nimium protrahantur, cum insuper decreta synodalibus e schemate typis impresso satis nota sint, peto ac insto, ut decreta per summaria capitum legantur.

Instantia pro Eligendis Consultoribus Diœcesanis.

Cum ex præscripto C. Plen. Balt. III. in hac diœcesi eligendi sint Consultores Diœcesani, atque a Rev^ma Tua Amplitudine ordinatum fuerit, ut propositio nominum a parte Cleri in hac Synodo fiat, ego N. N., hujus Synodi promotor, insto et rogo ut decretum de proponendis Consultoribus legatur.

Decretum de Proponendis Consultoribus Diœcesanis.

Præcipit C. Pl. Balt. III., ut "instituantur Consultores Diœcesani, sacerdotes pietate morumque integritate, sollicitudine pro animarum salute, doctrina, prudentia, rerum hominumque experientia, necnon sacrorum canonum et diœcesanorum statutorum observantia insignes," "qui Episcopis in gubernandis suis diœcesibus consilio et opera adsint." Mandat præterea idem Concilium ut eligendorum dimidius numerus a Clero proponatur. Itaque facultatem Vobis in hac synodo congregatis facimus, ut pro tribus (duobus) seligendis Consultoribus tria toties nomina scripto proponatis, ex quibus Nos, quos in Domino aptiores judicaverimus, nominabimus.

INDICULUS

PRO

SECRETARIO, PROMOTORE ET MAGISTRO CEREM.

PRIMA SESSIO.

Clerus totus in aula Episcopi.
Paratur Ep. cum Canonicis.
Fit Processio: Veni Creator.
Reditus in ecclesiam.
Missa de Spiritu S.
Incensatur totus Clerus,
Communio Cleri.
Non datur benedictio.
Paratur Ep. pro sessione.
Ant. *Exaudi;* genuflectunt.
Ps. *Salvum me;* sedent.
Oratio *Adsumus;* stant.
Litaniæ; genuflectunt.
Oratio; surgunt.
Evangelium cum thure.
Veni Creator; stant.
Dimittitur populus.
Clauduntur portæ.
Allocutio.
Decr. de aperienda Syn.
Decreta preliminaria.
Decr. de professione Fidei.
Professio Fidei: genufl.
Juramentum super libro.
Vocantur nomina.
Rogitus Notarii.
Indictio sessionis proximæ.
Ep. benedicit solemniter.
Discedunt processionaliter.

SECUNDA SESSIO.

Clerus in ecclesia; Canonici in aula; Ep. in magna cappa accedit ad ecclesiam. Assistit Missæ de Requiem.
Vestitur pro absolutione "ad pannum".
Paratur vestimentis rubris.
Item Canonici.
Ant. *Propitius;* genufl.
Ps. *Deus venerunt;* sedent.
Oratio. Evangelium. Veni Creator.
Dimittitur populus.
Clauduntur portæ.
Allocutio.
Promotor pro lectione decretorum.
Lectio Constit. Apost.
Lectio decr. Conc. prov.
Lectio decretorum Synodi.
Indictio prox. sessionis.
Rogitus Notarii.
Benedictio Episcopi.
Recedunt omnes.

TERTIA SESSIO.

Clerus in ecclesia; Canonici in aula; Ep. in cappa accedit ad ecclesiam.
Paratur vestibus albis, ut assistat Missæ de SS. Trinitate.
Incensatur totus Clerus.
Non datur benedictio.
Paratur Ep. vestibus rubris.
Item Canonici.
Ant. *Exaudi* et Ps. 68, ut in I. sessione.
Oratio. Evang. Veni Creator.
Clauduntur portæ.
Allocutio.
Promotor pro continuanda lectione decretorum.
Decr. de Testibus Syn.
" " Examinatoribus Syn.
Decr. de Commissariis Syn.
" " subscribendis decretis
Vocatio nominum.
Decr. de conclusione Synodi.
Rogitus Notarii.
Allocutio.
Acclamationes.
Osculum pacis.
Te Deum laudamus.
Oratio: *Nulla est.*
Benedictio Ep. cum indulg.
Recedamus cum pace.
Recessus in Sacristiam.
Depositis paramentis redeunt in chorum.
Ep. in cappa comitatur ad aulam.

STANDARD CATHOLIC BOOKS

PUBLISHED BY

BENZIGER BROTHERS,

CINCINNATI: 143 Main St. | NEW YORK: 36 & 38 BARCLAY ST. | CHICAGO: 178 Monroe St.

A MOST LIBERAL DISCOUNT from these Prices (those marked *net* excepted) will be made to Dealers, Clergymen, Religious Institutions, and Schools.
The Postage on *net* books is extra.

Abandonment; or, Absolute Surrender of Self to Divine Providence. By Rev. J. P. CAUSSADE, S.J. Translated by Miss ELLA MCMAHON. 32mo, cloth, 50 cents.

Aletheia; or, The Outspoken Truth on the All-important Question of Divine Authoritative Teaching. An exposition of the Catholic Rule of Faith, contrasted with the various Theories of Private and Fallible Interpretation of the Sacred Scriptures. By the Right Rev. J. D. RICARDS, D.D. Second edition. 12mo, cloth, *net*, 80 cents.

Almanac, Catholic Home. A charming Annual for Catholics, 25 cts.

Analysis of the Gospels of the Sundays of the Year. From the Italian of Angelo Cagnola. By Rev. L. A. LAMBERT, LL.D., Author of "Notes on Ingersoll," etc. 8vo, cloth, *net*, 1 25

Art of Profiting by our Faults, according to St. Francis de Sales. From the French of Rev. J. TISSOT, by Miss ELLA MCMAHON. 32mo, cloth, 50 cents.

Bible, The Holy. With Annotations, References, and an Historical and Chronological Index. 12mo, cloth, $1 25
Imitation morocco..... $3 00
Calf, round corners, red and gold edges..... 5 00
Morocco, " " " " 6 00
Divinity morocco, calf lined, sewed with silk.....*net*, 12 75
This is a handy edition, printed from clear, new type on good paper, substantially bound, at low prices.

Birthday Souvenir, or Diary. With a Subject of Meditation or a Prayer for every Day in the Year. By Mrs. A. E. BUCHANAN. New edition, with ruled pages for memoranda. Cloth, gilt, 50 cents.

Blessed Ones of 1888: Bl. Clement Maria Hofbauer, C.SS.R; Bl. Louis-Marie Grignon de Montfort; Bl. Brother Ægidius Mary of St. Joseph; Bl. Josephine Mary of St. Agnes. From the German by ELIZA A. DONNELLY. 18mo, cloth, illustrated, 50 cents.

Blind Friend of the Poor; Reminiscences of the Life and Works of Mgr. de SEGUR. 18mo, cloth, 50 cents.

Brownson, Orestes A., Literary, Scientific, and Political Views of. Selected from his works, by H. F. BROWNSON. 12mo, cloth, *net*, $1 25

Burke, Rev. J. J. The Reasonableness of the Practices of the Catholic Church. 12mo, paper, 20 cents.

—— The Reasonableness of the Ceremonies of the Catholic Church, 12mo, paper, 10 cents.

Canonical Procedure in Disciplinary and Criminal Cases of Clerics. A systematic Commentary on the "Instructio S. C. Epp. et Reg. 1880.' By the Rev. FRANCIS DROSTE. Edited by the Right Rev. SEBASTIAN G. MESSMER, D.D., Bishop of Green Bay, Wis. 12mo, cloth, *net*, $1 50

Catechism of Familiar Things. Their History, and the Events which led to their Discovery. With a short explanation of some of the principal Natural Phenomena. With 16 full-page Illustrations. Cloth, inked side, $1 00

Catechism of Perseverance; or, An Historical, Dogmatic, Moral, Liturgical, Apologetical, Philosophical, and Social Exposition of Religion from the beginning of the World down to our own days. By Mgr. GAUME. From the 10th French edition. 4 vols., *net*, $7 50

Catholic Belief; or, a Short and Simple Exposition of Catholic Doctrine. By the Very Rev. JOSEPH FAÁ DI BRUNO, D.D. Author's American edition edited by Rev. LOUIS A. LAMBERT, author of "Notes on Ingersoll," etc. 100th Thousand. 16mo, flexible cloth, 40 cents. 10 copies, $2.65—50 copies, $12.00—100 copies, $20 00
Cloth, red edges, 75 cents.

Catholic Christianity and Modern Unbelief. A plain and brief statement of the real doctrines of the Roman Catholic Church as opposed to those falsely attributed to her by unbelievers in Revelation. By the Right Rev. J. D. RICARDS, D.D. 12mo, cloth, *net*, $1 00

Catholic Memoirs of Vermont and New Hampshire. With sketches of the lives of Rev. Wm. Henry Hoyt and Fanny Allen. Also with accounts heretofore unpublished of the lives of Rev. Daniel Barber, Rev. Horace Barber, S.J., and Jerusha Barber. 12mo, cloth, ink and gold side, $1 00
Paper, 50 cents.

Catholic Worship. The Sacraments, Ceremonies, and Festivals of the Church explained in Questions and Answers. From the German of Rev. O. GISLER, by Rev. RICHARD BRENNAN, LL.D. (25th Thousand.) Paper, 15 cents; per 100, $9.00. Cloth, 25 cents; per 100, $15.00.

Catholic Young Man of the Present Day. Letters to a Young Man by Right Rev. AUGUSTINE EGGER, D.D., Bishop of St. Gall. From the German, by Miss ELLA MCMAHON. 32mo, paper, 15 cents; per 100, $9.00. Cloth, inked sides, 25 cents; per 100, $15.00.

Christ on the Altar. Instructions for the Sundays and Festivals of the Ecclesiastical Year. Explaining how the Life, Miracles, and Teachings of Our Lord in the Holy Land are continued on the Altar of the Parish Church. By Right Rev. LOUIS DE GOESBRIAND, D.D., Bishop of Burlington, Vt. With 2 chromo-lithographs, 63 full-page illustrations, 240 illustrations of the Holy Land and of Bible History, ornamental initials, tail-pieces, etc., etc. Quarto, cloth, rich gold and ink design, gilt edges, $6 00

Christian Anthropology. By Rev. JOHN THEIN. With an Introduction by Prof. CHAS. G. HERBERMANN, LL.D. 8vo, cloth, *net*, $2 50

Christian Father, The; what he should be, and what he should do. Together with a Collection of Prayers suitable to his condition. (25th Thousand.) Paper, 25 cents; per 100, $15.00. Maroquette, 35 cents; per 100, $21.00. Cloth, 50 cents; per 100, $30.00.

Christian Mother, The; the Education of her Children and her Prayer. With an account of the Archconfraternity of Christian Mothers, together with its rules, prayers, indulgences, etc. (35th Thousand.) Paper, 25 cents; per 100, $15.00. Maroquette, 35 cents; per 100, $21.00. Cloth, 50 cents; per 100, $30.00.

Compendium Sacrae Liturgiae Juxta Ritum Romanum una cum Appendice De Jure Ecclesiastico Particulari in America Foederata Sept. vigente scripsit P. WAPELHORST, O.S.F. Crown, 8vo, cloth, *net*, $2 50

Cornelius a Lapide's Great Commentary upon the Gospels. Translated and edited by the Rev. T. W. MOSSMANN, B.A., Oxon. Complete in six vols., *net*, $18 00

Correct Thing for Catholics, The. By LELIA HARDIN BUGG. *Sixth edition.* 16mo, cloth, 75 cents.

Counsels of a Catholic Mother to Her Daughter. Translated from the French. 18mo, cloth, 50 cents.

Counsels of St. Angela to Her Sisters in Religion. 32mo, cloth, *net*, 25 cents.

